





1700.

1. Christiani, Georgius: De somno, ejusque in morbis  
efficacia.
2. van Langen, Ludovicus Franciscus: De successione alle-  
diali et feudali.
3. Lessch, Rainerus Henricus: De his, qui feuda dare,  
vel constituere, aut acquirere possunt.

1701.

1. Bongard, Christianus: De personis ad judicium  
constituendum necessariis
2. Harient, Friedrich: De officio judicis suppletorio  
circa processum civilem in foro Saxonico.
3. Rhode, Johannes: De locatione ad longum tempus.
4. Pirrius, Johannus Florus: De debitorum bona sub hasta  
vendita relicta

1702.

1. Wicant, Petrus de la Fontaine: De palmine.



1704

1. Busmannus, Petrus: De praefectis urbi

1705

1. a, b, c. Teck, Ludovicus Nicolaeus: De rebus publicis.
- 3 Sumpt. 1705 & 1739.

1706.

1. Pontanus, Henricus: Laudatio fenebris in occasione  
Petri van Masticht.

1707

1. viere, Thomas de: De beneficiis competentibus

1708

1. van Meyden, Johannes: De plus ac minus petitionibus.
2. Schull, Steven: De prorogatione jurisdictionis

1709.

1. Poolsom, Th. Abt. von: De corris stipulandi et  
promittendi

1710

1. Cuylenbroek, Abrahamus, a: De fundis emphyteuticis eorum  
que a feudatibus discriminae.
2. Gethardt, Hermannus: De testamentaria et legitima con-  
jagum successione



1710


3. Kemmerling, Joannes: De exceptionibus.
4. Kemmerling, Gerard Anton: De pactis circa successiones  
tam principum quam privatorum
5. Remer, Christoph Andreas: De imputatione actorum et  
reus et actionibus proventuum
6. van der Schuer, Joannes Theod: De reuditorum ad rem  
tradendam non obligatos
7. Wffelmannus, Rudolphus Tobias: De exceptionibus contra  
instrumenta quarentizata
8. Valckenburgh, Joannes: Disputatio jur. ad l. 66 ff. de jure  
dotium
9. Veltkuyzen, Franciscus: Disputatio ... ad l. 16 C.  
de donat. ante nupt.
10. van de Water, Franciscus: De quibusdam conjecturis  
ex jure civili.




1777  
3. ...  
4. ...  
1778  
5. ...  
6. ...  
1779  
7. ...  
8. ...  
9. ...  
10. ...  
11. ...  
12. ...  
13. ...  
14. ...  
15. ...  
16. ...  
17. ...  
18. ...  
19. ...  
20. ...  
21. ...  
22. ...  
23. ...  
24. ...  
25. ...  
26. ...  
27. ...  
28. ...  
29. ...  
30. ...  
31. ...  
32. ...  
33. ...  
34. ...  
35. ...  
36. ...  
37. ...  
38. ...  
39. ...  
40. ...  
41. ...  
42. ...  
43. ...  
44. ...  
45. ...  
46. ...  
47. ...  
48. ...  
49. ...  
50. ...  
51. ...  
52. ...  
53. ...  
54. ...  
55. ...  
56. ...  
57. ...  
58. ...  
59. ...  
60. ...  
61. ...  
62. ...  
63. ...  
64. ...  
65. ...  
66. ...  
67. ...  
68. ...  
69. ...  
70. ...  
71. ...  
72. ...  
73. ...  
74. ...  
75. ...  
76. ...  
77. ...  
78. ...  
79. ...  
80. ...  
81. ...  
82. ...  
83. ...  
84. ...  
85. ...  
86. ...  
87. ...  
88. ...  
89. ...  
90. ...  
91. ...  
92. ...  
93. ...  
94. ...  
95. ...  
96. ...  
97. ...  
98. ...  
99. ...  
100. ...











DISPUTATIO MEDICA  
DE

Socinny, eiusque in Mor-  
bis efficacia.

JOANNIS GEORGII DE VILLI

Magistri Bithuniarum Regis Illustrissimi, Palmarum, Hiberniarum  
& Eboracensis Praefecturae,

REGIS HON

Academiarum Socii et Academiarum confessoris, et Bibliopaeae

Facultatis M. D. I. C. S. Doctoris,

P. D. ORIBUS DOCTORATUS,

Summiusque in MEDICINA Honoribus & Privilegiis  
suis ac legitimis consecutus.



Ex Officina ... WATER, ...





450  
ARNOLDI DRACKENBORCHII,  
I. V. D. HISTORICAR. AC ELOQVENT.  
IN ILL. ACADEM. ULTRAIECTIN.  
PROFESS. PVBL. ORD.

1704-1  
DISSERTATIO  
PHILOLOGICO - HISTORICA  
DE  
PRAEFECTIS VRBI  
SVB PRAESIDIO

v. cl.  
PETRI BURMANNI  
PVBLICE DEFENSA  
VLTRAIECTI.  
A. D. III. IVNII CIO IOCCIII. 9



EDITIO ALTERA.

TRAIECTI CIS VIADRVN,  
LITTERIS WINTERIANIS,  
CIO IOCCCL.







**VIRO**  
**CELEBERRIMO EXCELLENTIS.**  
**SIMOQVE**  
**IACOBO PHILIPPO**  
**DORVILLIO,**  
**I. V. D.**  
**LITTERATORI SVMMO**  
**S. P. D.**  
**IO. LVDOVICVS VHLIVS.**



VIRI  
CIBERISSIMO EXCELLENTIS  
SIMONE  
IACOBO PHILIPPO  
BORVILLIO  
LITTERATORI SUMMO  
S. P. D.  
IO. LUDOVICVS SVBIVS



**I**am pridem in aere tuo sum, vir celeberrime, qui me non praesentem solum, verum quoque absentem, omni beneficiorum genere exornare non dubitasti. Ex quo enim cultius Belgium adire, praestantissimisque doctoribus operam dare licuit, summa statim me recepisti humanitate, quam, dum haec scribo, eandem adhuc experior. Nondum tum, quum primum te adirem, aderat tempus, quo lectiones in illustri academia Lugduno-Batava iterum incipiebant, quare tam diu Amstelodami manere suadebar. Satis tibi non fuerat, variis me donasse libris a te editis praestantissimis, quotidieque fere conviuiorem habuisse; verum conciliabas quoque fauorem eruditorem hominum, quos urbs illa aeterna in sinu suo fouebat, inter quos fratrem tuum pie defunctum, Burmannos, Vonkios, Siebenios, Noordkerkios, cet. nominare liceat. Monstrabas mihi non solum, verum utendam quoque concedebas bibliothecam tuam amplissimam, quae plurima doctorum virorum opera inedita simul comprehendit. Disserebas quotidie de rebus ad humanitatis studia pertinentibus, conspicienda praebebas plurima antiquitatis monumenta, inprimis lapides litteratos, olim in Itinere Siculo describendos, cui praestantissimo operi faustam Lucinam adprecamur. Quum pro electionum tempus adpropinquaret, commendabas me Lugdunensium professori tunc celeberrimo, Petro Burmanno, quem praeceptorem ac




fauorem habui fidelissimum fauentissimumque. Nec absentem literis tuis instructissimis erudire intermittebas, verum quoque varia, quae vsui mihi esse poterant, mecum communicabas beneuole, siquidem Castigationes inscriptionum et subscriptionum legum primi libri Codicis Iustiniani nouae Faetorum Rom. coff. Almelou. editioni subiectae tuae beniuolentiae uice debentur. Peractio in Belgio fere biennio fata nolentem ac inuitum in Germaniam retraxerunt, qui potius ibi permanere constitueram. Quamuis uero caelum terramque mutarem, amicitiam tamen tuam non sensi mutatam, potius saepiuscule uariis beneficiis firmatam. Liberalitati enim tuae debeo Vannum criticam, desideratissimi Fratris Poëmata a te edita, quibus nouissime accessit Charito Aphrodisiensis, animaduersionibus tuis doctissimis illustratus, de qua editione magna sperare iubebant uiri docti in literis ad uirum summum, M. V. La Crozium datis. Honorificam quoque mei in praefatione mentionem facis, quae facile maleuolorum inuidiam posset prouocare. Quibus quum paria referre minime possim, necum me tibi hac epistola prosteri non erubescio, quam una cum Dissertatione ut benigno recepturus sis animo, enixe peto. Deum T. O. M. veneror, ut saluum te ac incolumem una cum praestantissima familia ad seram usque senectutem conseruet. Vale, uir celeberrime, meque ei in posterum fauore tuo non indignum iudica.

Dab. d. 10. Iulii 1750.

LE-





## LECTORI HONORATISSIMO

S.

**Q**uae nostra qualicumque cura iterum  
prodit dissertatio Drackenborchia-  
na, ea tum ob elegantiam ac soli-  
ditatem, tum ob summam raritatem iam pridem  
meruit, quae in Germania typis repeteretur. Cui  
enim ignota sunt viri post fata quoque celeberrimi, Ar-  
noldi Drackenborchii, in omne eruditionis genus me-  
rita, aut quotusquisque in patria nostra hanc, quam  
repetitam damus, dissertationem viurpavit oculis.  
Quae quum nulla commendatione opus habeat, po-  
tius excerpta quaedam ex experientissimi Oosterdyk-

X 3

Schach-



Schachtii *Oratione funebri* \* de vita, fati, ac scriptis desideratissimi viri dabimus.

Natus est igitur, quem lugemus, Arnoldus Drackendorchius, Traiecti ad Rhenum anno supra millesimum et sexcentimum quarto et octuagesimo, ea nocte, quae inter Decembris ultimum et primum Ianuarii media est. Auis eius fuit Arnoldus Drackendorchius, qui in collegio canonicorum ecclesiae metropolitanae, quae Traiecti est, sculteti munere fungens tibi sibi vitaeque consortem elegit Catharinam de Ruyter, ex qua quatuor suscepit liberos: Euerardum, nostri parentem; Ioannam, nuptam Bartholomaeo van de Wall; Gertrudam; et denique Alettam, quam Euerardus van Noordwyk in matrimonio habuit. Hanc suauissimam vxorem quum posttredecim exactos annos morte amisisset, ad secunda vota transit, adsciscens sibi Gysbertam van Sterkenborch, e qua procreauit Catharinam et Arnoldum absque liberis fato functos. Liberorum natu maximus, Euerardus Drackendorchius, nostri pater, ad doctrinarum studia animum adplicans, summos in vtroque iure honores adeptus dicto modo canonicorum collegio ab actis fuit. Matrimonio sibi iunxit laudabilem maxime, corporisque ac animi dotibus excellentem virginem,

\* Prodiit ea Traiecti ad Rhenum 1748, 4. maior. hoc titulo: Ioannis Oosterdyk-Schacht *Oratio funebris in obitum viri clarissimi et eruditissimi Arnoldi Drackendorchii*, I. V. D. *hisor. et eloqu. Profess. ord. ex decreto senatus academici publice dicta d. 19. Febr. 1748.*



nem, Susannam de Bane, nuper admodum octuagenaria longe maiorem defunctam Arnoldi nostri matrem. Ortum illa habuit ex spectata familia, quae emendatis caerimoniis addicta solum vertere, fugaque sibi salutem quaerere fuit coacta. Proauus enim eius, Balthasar de Bane, cum vxore Philippina Castel vel Chateau Insulae, Flandrorum ciuitate, habitantes Antwerpiam concefferant. Quum vero ibi aliquamdiu degissent, tristis ille illuxit dies, quo dux Parmensis hanc ciuitatem sub Hispaniarum regis redegit potestatem\*: quod vbi factum, vna cum Luca Trelcatio Lugduni Batauorum sedem stabilem fixerunt, multisque liberis, binis masculis, septem vero sequioris sexus, domum suam fundauerunt. Pater eius, David de Bane, ex Estera Didier sex genuit liberos, tres masculos, totidemque feminei sexus. Ex his Susannam nostram Euerardus Drackenborchius; Catharinam primum Iacobus Hennebo, deinde Iacobus de Tombe; Annam denique Ditericus Cornelii Cocq tori focias adsumserunt. Bini, Balthasar et Elifaeus vel in tenella aetate obierunt, vel prouectam attigerunt, at nullis posteris relictis decesserunt.

Hoc vero auspiciatissimum Euerardi et Susannae matrimonium mira fertilitate fuit beatum: vndecim enim illa liberis maritum parentem fecit. Horum primus Arnoldus, de quo iam agimus. Alter David,

) 5

mers

\* Anno Chr. 1585.



mercator Amstelodamensis, vxorem suam Ioannam Schelte, natamque ex ea filiam, Gerardo Bouricio nunc nuptam, morte defuit, Euerardus, patris successor, nupero mense Maio est extinctus. Petrum Antonium nondum bimestrem, Petrum Antonium alterum et Ioannem Antonium caelibes, nec non Elifaeum admodum puerum fata abstulerunt. Martinam vero Metropolitanam, filiarum maximam, domum duxit Arnoldus van de Wall, mercator olim Roterodamensis, quae amissi mariti solatium ex binis filiis fortunata capit. Esteram Catharinam felici coniugio sibi iunxit in eodem emporio mercator, et honorifico Schielandiae iudicium collegio quondam adscriptus, Ioannes des Tombe, qui non ita pridem summis in medicina honoribus est ornatus. Susanna denique Elifabetha et Anna Iacoba virgines adhuc degunt.

His igitur parentibus natus Arnoldus Drackenborchius, qui, postquam puerilem et legendi et pingendi litteras artem edoctus fuerat, priuatis institutionibus Iacobi, gymnasi dein Roterodamensis praecceptoris, fuit traditus. Scholas dein Traiectenses adire est iussus. Quam vero Samuel Pitiscus, qui ludum Traiectensem tunc moderabatur, solus eidem non sufficeret, ipseque magis conscribendis libris, quam erudiendis pueris vacaret: pater nostrum Lingam, ubi Bronleewius rectoris munere fungebatur, mittere non dubitat. Ibi per triennium litteris operam dedit: quo finito anno aetatis quinto et decimo, reparatae



vero salutis 1699. ad academiam se recepit. Exor-  
 nabant vero tum patriam academiam praecipue viri  
 celeberrimi, Io. Georg. Graevius et Petrus Burman-  
 nus, quorum scholis, inprimis Burmanni, interfuit.  
 Quo duce magnos mox fecit progressus, annoque  
 faeculi quarto, die itidem Iunii quarto, sub illius praesi-  
 dio hanc, quam iam danus, dissertationem publice defen-  
 dit. Mox hortante patre et iuri civili addiscendo  
 operam dedit, in quo eo maiores facit progressus, quo  
 maior inter hoc et humanitatis studia intercedit neces-  
 situdo. Ornabant tum patriam academiam anteces-  
 sores clarissimi, van de Poll, Eckius, Meydenius, ex  
 quibus inprimis Eckii scholis interfuit. Mox Lugdu-  
 num Bataavorum a patre missus, vbi Mathaeus, Voe-  
 tius, Vitriarius pater, illeque sol iuris prudentiae,  
 Gerardus Noodtius, docebant; huic vni operam dedit.  
 At non deseruit humanitatis studia, quin potius infcio  
 patre scholis celeberrimorum virorum, Iacobi Perizonii  
 et Iacobi Gronouii diligens interfuit. Anno hic peracto  
 ad suos optimis doctrinae copiis instructus reuertitur;  
 dieque 14. Martii 1707. Dissertatione inaugurali publice  
 habita de officio praefectorum praetorio summos in vtroque  
 iure coniequitur honores. Absoluto ita cursu acade-  
 mico priuatim humanioribus litteris strenuam naua-  
 uit operam, hortanteque inprimis Burmanno de eden-  
 do Silio Italico cogitare serio coepit, qui etiam po-  
 stea fuit editus, et adhuc hodie omnibus admirationi  
 est. Dum in hoc se exercet studio, Burmannus tum  
 bibliothecarum excutiendarum, tum doctorum viro-  
 rum



rum adeundorum causa iter in Galliam meditatatur, sibi que comitem nostrum Arnoldum expetit. Adsumtis in societatem binis fratribus, Cornelio et Guiljelmo van Cleefe, Lutetias Parisiorum tendunt, ibique, praecunte celeberrimo Montfauconio, bibliothecas, quantum per sex septimanarum spatium fieri poterat, excutiunt, multisque eruditionis copiis instructus ad patrios lares reuertitur. Discedente mox Lugdunum Batauorum Petro Burmanno, huius praecipue commendatione fuit effectum, vt vna cum celeberrimo Duckero in eiusdem locum fuerint suffecti. Quod munus tum auspiciatus noster fuit sollempni oratione *de vtilitate et fructu, qui ex humanioribus disciplinis in omne hominum et doctrinarum genus redundant* \*. Paucos post annos debitum naturae soluit theologus praestantissimus, Franciscus Burmannus, in cuius honorem ex mandato senatus academici orationem habuit, dignam suo auctore. Hunc vbi amicum eluxerat, ad sua reuertitur studia, nec ea tantum, quae officii ratio postulabat, verum etiam ad illustrandam mediae aevi historiam, indagandas nobilium gentisque patriciae familias, et explorandas patriae miras vicissitudines. Quantum vero et in hoc studiorum genere praestiterit, non illi tantum, quibus plura de hac materia conscripta volumina peruoluenda dedit; non modo Belgica ad Morerii exemplum contexta lexica, quae non spernendis argumentis auctiora reddidit; sed imprimis epistola, quam anonymus sub alia persona Cornelio

\*) Die 15. Maii 1716.



nelio Paulo Hoynk van Papendrecht, Mechliniensi archipresbytero inscripsit\*, testari possunt. Quam enim ille *Catalogum praepositorum decanorumque ecclesiarum Ultraiectensium*, quem a Drackenborchio confectum primo tomo *Edictorum* regionis vrbisque Traiectinae inseruit, qui supremac curiae ab actis est, Ioannes van de Water, nimis acerbe excepisset, famam suam, conscripta ad eundem epistola tueri conatus fuit, falsoque plerumque increpantem Hoynkium longe grauiores, quam quos ipsi imputabat, errores commisisse, solidissime demonstrauit.

Magistratu academico ex omnium voto gesto, eo munere abiit publice habita oratione\*\*, qua disquirat, unde fiat, ut studia humanitatis hodie tanopere negligantur.

Quam vero in Silio Italico depraedicauius Drackenborchianam operam: eandem, immo maiorem, postea Tito Liuio Patauino impendit, qui ab anno 1738 ad 1746. variis voluminibus doctorum virorum adnotationibus stipatus prodit. Ipse quinquaginta codices manu exaratos vel integros, vel ex iis a viris doctis excerpta, manibus suis tractauit, deinde tredecim et centum editiones consuluit.

Anno 1736. academia Traiectina festa celebrabat saecularia, qua occasione noster die 27. Martii orationem

\* Anno 1724. Exstat in libro, cui titulus: *Aenbangfel op de kerkelyke Oudbeden van Nederland oet. Te Utrecht bey Hermannus Besseling 1744.*

\*\* A. 1722. die 26. Martii.



nem habuit elegantissimam, quae adeo se proceribus academiae probavit, ut argenteo monumento, eoque non exigui pretii, domum eius et suppellectilem, quam haud multo ante commoda auxissent, exornauerint. Quia et non ita diu post contigit, ut publicae bibliothecae d. 22. Febr. 1740. fuerit praefectus, qui quidem honos nemini ante ipsum unquam fuit tributus. Eodem anno \* academiae Lugduno-Batavae curatores splendidissimi nostro Spartam luculentioribus offerebant conditionibus, quam vero amore patriae deprecabatur. Cathedram iterum conscendit, et theologorum principi, Hieronymo Alphenio, non immatura quidem, sed tamen flebili morte erepto, iusta persoluit \*\*. Quod iterum fecit die 25. Iulii 1747. quam ferentissimo Arausionensium principi senatus academici nomine summos terra marique honores gratulatur.

Statum eius domesticum quod attinet, anno saeculi decimo nono de tori focia adfiscenda serio cogitavit, elegitque patruelem suam, Catharinam van de Wall, egregiae indolis virginem, quae nunc ablatum sibi maritum, cum quo nouem fere et viginti annos sine querimonia vixerat, luget. Nata haec erat patre Bartholomaeo van de Wall, matre vero Ioanna Drackenborchia, nostri amita, e cuius fratribus fororibusque, quos haud paucos habuit, unum Arnoldum eodem cum Catharina partu editum, et Martinam Metropolitanam, Drackenborchii forori, conjugalibus vinculis, dum fata

\* Die 15. Augusti. \*\* Die 25. Febr. 1743.



fata sinebant, iunctum, vnamque Alettam nominare liceat, quae nupta Jacobo Eckio, apud Groeningenses antecessori hodie celeberrimo. Nati vero Drackendorchio ex faustissimo illo matrimonio sunt libri quatuor. Ioanna Euerardina, quae vix sex septimanas vixit. Ioanna Euerardina altera, quae anno aetatis decimo et septimo parentibus, variolarum morbo, fuit erepta. Euerardus Bartholomaeus statim post natiuitatem, et Susanna Martina septimo et decimo mense decesserant.

Ad vltimum denique morbum quod attinet, die 15. mensis Decembris 1747. quum, praegressu aliquandiu ante terrore, per pluuiosum aera, negotiorum causa, incessisset, sacrisque vespertinis humidis vestibus indutus interfuisset, in febriculam incidit, donec tandem vi morbi lentioris quidem, et nec dolorosi, nec pessimorum symptomatum caterua stipati, per triginta admodum dies tolerati, die 16. Ianuarii hora sesquiundecima antemeridiana animam Deo reddidit, annos natus 64. dies autem 16.

Vltus sum hactenus verbis experientissimi Schachcii in describenda vita Drackendorchiana. Ad ipsam dissertationem quod attinet, eandem dono a celeberrimo auctore acceperam, quem Ultraiecti non solum, verum quoque absens expertus sum maximo-pere mihi fauentem. Celeberrimo vero Petro Wefelingio, amico veteri, summas habeo gratias, qui orationem funebrem beneuole mecum communicauit. Interim vale, beneuole lector, mihiq; et in posterum faue. Scrib. a d. 10. Iul. 1750.





SERIES CAPITVM.


	Pag.
Cap. I. de praefectis vrbis in genere - - -	1.
Cap. II. de praefectis vrbi sub regibus institutis. -	5.
Cap. III. de praefecto vrbis feriarum Latinarum caussa. 19.	
Cap. IIII. de ultimo praefecto sub imperatoribus creato. 26.	
Cap. V. de his, qui ad praefecturam vrbis admittuntur, eorumque dignitate. - - -	33.
Cap. VI. de iuris dictione praefecti vrbis. - - -	40.
Cap. VII. de cura praefecti vrbis circa annonam. 51.	
Cap. VIII. de cura praefecti vrbis circa aedificia. 59.	
Cap. VIII. de cura praefecti vrbis circa ludos. - 64.	
Cap. X. de variis officiis ad praefectum vrbis pertinentibus. 67.	
Cap. XI. de insignibus praefecti vrbis. - - -	71.



CAP. I.








CAPVT I.

DE  
PRAEFECTIS VRBIS IN  
GENERE.

t hanc, quam conscribendam suscepi, dissertationem ordine edisseram, distinguendi erunt triplices praefecti vrbis, qui, licet idem nomen acceperint, alii tamen et inter se diuersi erant, nec nisi pauca quaedam communia habuerunt. Praefectorum antiquiores sunt, qui absentibus summis magistratibus vrbi praeponerentur, vt tam res militares, quam ciuiles, curarent. Horum postea exemplo quotannis creabantur praefecti vrbis Latinarum causa, qui, dum consules in monte Albano feriis Latinis praesiderent, summum in vrbe magistratum gerebant. Tandem Augustus ordinarios vrbis praefectos instituit, et iis latissimam iuris dictionem exercendam dedit: de singulis seorsum videbimus. Praesertim autem id egi, vt munera praefecti vrbis ordinarii latius deducerem: diffusa enim haec erat materia, et

DRACKENB. *de praef. urb.* A infu-



insuper digna, quae diligentius exponatur. Nam vix vnus et alter ex tanto eruditorum choro hoc et superiori saeculo repertus est, qui eam leuiter attigerit, et, quemadmodum habet τὸ λεγόμενον, vt canis e Nilo libauerit. Facile itaque veniam dabunt beneuoli lectores, si imperitus nauta in vasto hoc, et vix enauigando antiquitatis Oceano ad breuia et fyrtes offendero. Quo accedit, hanc homini legem dictam esse, vt quotidie erraret, qua nemo solui potest, nisi simul communem hominum conditionem exueret. Proinde verus hic Terentianus in ore et pectore omnium sit,

*Homo sum: humani nihil a me alienum puto.*

Priusquam autem ad rem ipsam accedo, quaedam de nomine praemittenda sunt. Apud Graecos, qui res Romanas literis consignarunt, magistratus hic variis nominibus appellatus est. Sic vocatur Πολιάρχος apud Dionem Cassium, *lib. LII. pag. 478.* et saepe alibi; Ἰπαρχος πόλεως apud Zosim. *lib. II. pag. 280.* Ἐπαρχος πόλεως siue Ῥώμης in corpore Gruteriano *pag. 406. n. 10.* Dion. Halic. *lib. III. pag. 473. lib. X. pag. 650.* Glosae Labbaei: Ἐπαρχος Ῥώμης τῆς πόλεως, *praefectus urbis.* Herodian. *lib. II. cap. 2. §. 1.* apud quem nihil frequentius est. Vocatur quoque Πολιόνομος, apud Dion. Cass. *lib. XXXXIII. pag. 227.* Ἐθνάρχης, vt notat Alex. ab Alex. *Genial. dier. lib. VI. cap. 20.*

Προτε-



Ἠποτεταγμένους ἑρωτησ. Vid. Labbaei *Glossas Latino-Graecar.* Romanis autem hic magistratus vulgo *praefectus urbis*, vel *praefectus urbi* dicitur. Virumque enim in antiquis lapidibus inuenitur. Vocatur *custos urbis* apud Iuuen. *Sat. XIII*, 157.

*Haec quota pars scelerum, quae custos Gallicus urbis*

*Vsque a Lucifero, donec lux occidat, audit.*

Ad quem locum nugas has annotat vetus schol. *Galicus nomen praefecti vigilum, qui institutus est, postquam Galli Capitolium ceperunt.* Licet enim *custos urbis* proprius titulus fuerit praefecti vigilum, ut patet ex Cassiod. *lib. VII. cap. 7.* saepe tamen etiam praefecto urbi tribuitur apud Senec. *Epist. 84.* et Auctor. *Eleg. in obit. Maecen.* qui vulgo Peto Albinouanus audit, *v. 27.* De ipso hoc Gallico Stadius ait *lib. I. sylu. 4. v. 17.*

*Quem penes intrepidae mitis custodia Romae.*

Immo Maecenas, qui numquam praefectus vigilum fuit, *vigil urbis Romae* dicitur apud Auctor. *Eleg. in obit. Maecen. v. 14.* Huius Rutilii Gallici mentio est in lapide apud Reines. *Inscript. class. XVII. n. 104.*

C. RUTILIO. GALLICO.

COMMISSH

Descriptus est lapis ille e notis Machan. *ad Aurel. Vitt. de vir. illustr. cap. 42.* In editione



ne Schotti pro GALLICO reperio GALLO: in vltima, quae hic Traiecti prodiit, pro COMMISSI, legitur CONSVLI. Inspicienda esset ipsa Machanaei editio, quam mihi videre non contigit. Certe  $\tau\theta$  COMMISSI quid velit, ignoro. Quando autem consul fuerit, aequae nescio, cum in Fastis nomen eius nusquam conspiciatur, nisi ex suffectis fuerit. Gallicum memorat quoque Statius, qui *Syluam* 4. lib. I. postquam Gallicus conualuerat, ad eum dedit. Ad quem locum errat Barthius, quod puter, Iuuenalem et Statium de diuersis Gallicis loqui, et eum, qui apud Iuuenalem memoratur, praefectum tantum vigilum fuisse. Sequi autem se dicit Cuiac in *Parat. Pandect. ad lib. I. tit. 12.* qui tamen locum illum de praefecto vrbis interpretatur. Porro *custos vrbis* omnis etiam is dicitur, cuius curae praesidium vrbis alicuius committitur. Vid. Sil. Ital. lib. XII. v. 63. Praefectus vrbis etiam *securitatis vrbanae praeful* vocatur apud Vell. Pat. lib. I. cap. 98. et *urbis moderator* apud Symmach. lib. X. epist. 24. Satyrice, vel per contemptum, ut ait Barth. *Aduers. lib. X. cap. 24.* a Iuuenale *villicus vrbis* dicitur *Sat. III. v. 77.* Quod tamen nimis acute de temporibus Neronis explicat Pithoeus, qui tota vrbe tamquam domo vel villa utebatur, ut ait Tacit. *Annal. lib. XV. cap. 37.* Pegasus enim, qui Iuuenali *villicus vrbis* dicitur, non sub Nerone, sed sub Vespasia-



Vespasiano praefectus vrbis fuit, vt ait *ICtus in l. 2. §. ult. D. fin. de orig. iur.* Nonnulli tamen, vt Cuiac. *Obferu. lib. X. cap. 37.* et Salmaf. *ad Lampr. Alex. Seuer. cap. 15.* aliique bene multi, hoc eo modo dictum capiunt, quem admodum *villicus aerarii* dicitur apud Tibull. in *Priap. cap. 82.* cuius locutionis exempla plura vide apud Reines. *ad Class. I. infer. 125.* Sed explicatio ea a stilo Iuuenalis, qui satyras scripsit, abhorret. Satyrici enim poematis character erat maledicentia. Ad eoque nihil anxilii adfert locus Cic. *Orat. pro Planc. cap. 25. populus Romanus deligit magistratus, tamquam rei publicae villicos.* Veram itaque Barthii puto explicationem, cui adsentit quoque doctissimus Menag. *Amoen. iur. cap. 17.*

.....

## C A P V T II.

DE

### PRAEFECTIS VRBI SVB REGIBVS INSTITVTIS.

**P**raefectus vrbi, *absentibus domo regibus, ac mox magistratibus, ne vrbs sine imperio foret, in tempus deligebatur, vt ius redderet, ac*

A 3

subi-



subiis mederetur, vt ait Tacit. *Annal. lib. VI. cap. II.* Idem innuit Pomponius l. 2. §. 33. *D. de orig. iur.* vbi, postquam recensuerat magistratus ordinarios, addit tandem, et haec omnia, quotiens in re publica sunt magistratus, obseruantur: quotiens autem proficiuntur, vnus relinquitur, qui ius dicat, qui vocatur praefectus vrbi. Ex his patere puto, praefecturam vrbis primo tempore magistratum extraordinarium fuisse: inquirendum igitur, quanam praefecti vrbis extraordinarii fuerint. Originem et institutionem praefectura vrbicaria Romulo debet, a quo mos creandi praefectum vrbis ad posteriora tempora transfusus est. Romulus enim bellis, quae ob raptum Sabinarum gerebat, impeditus, quominus ipse praefens regni sui gubernacula tractare posset, vrbi praeposuit Dentrem Romulium, qui personam regis absentis apud populum sustineret. Tullus Hostilius, huius exemplum imitatus, cum vicinos subiugaret, et imperii terminos per omne Latium extenderet, vrbis curam tradidit Marcio; Tacit. *Annal. lib. VI. cap. II. post ab Tullo Hostilio Numam Marcium impositum ferunt.* Ad quem locum Muretus notat, hunc Marcium regis Anci Marçii patrem fuisse. Sed rectius Mercerus monet legendum esse *Numae N.* id est, nepotem *Marcium*, et intelligendum ipsum Ancum Marcium. Nec moratur lapis, quem Reinesius exhibet *claff. V. n. I.*



DE PRAEF. VRB. SVB. REG. INST. 7.

NUMAE MARCIO M, F.

PRINC. IUVEN.

PRAEF. VRB.

I. PONT. M.

PROCVL. ESTE. PROFANI,

FOELIX. NIMIVM. PRIOR. AETAS.

OMNIS. AETAS.

DE. SVO. TEMPORE. CONQVESTA.

EST.

Merito enim doctissimo Ruperto suspecta est haec inscriptio: nec aliter suadet titulus *principis iuuentutis*, qui circa ea tempora nondum in usu fuisse videtur. Emendationem Merceri clarissime adstruunt loca Liuii et Senecae ab eo allata. Postea Tarquinius Superbus cum Ardeam, Romae finitimam, obsideret, et oppidum illud suo ductu expugnare vellet, culmen vrbani Sp. Lucretio Tricipitino commisit, qui post mortem Bruti consul creatus est. Vid. Tacit. *Annal. lib. VI. cap. 11.* et Alex. ab Alex. *Gen. diem. lib. VI. cap. 20.* Is autem male *Mumartium* memorat, qui Tacito *Numa Martius*, vel *Numae N. Marrius* dicitur. Lucretii quoque mentio est apud Dion. Halic. *lib. III. pag. 273.* et Liu. *lib. 1. cap. 59.* Andreas Dominicus Floccus, cuius libellus sub nomine Fenestellae extat, *de potestatibus Romanorum lib. II. cap. 6. sensusquam antea quidquam reperisse de praefecto urbis*, ait, *quam de Sp. Lucretii, patris Lucretiae, praefectura.* Quod non tam auctoris inscitiae, quam acui,

A 4

quo



quovixit, vitio adscribendum est. Tacitus enim, qui solus Dentrem Romulium et Numae N. Marcium memoravit, adhuc latebat in bibliothecis, quo tempore hoc Floccus scripsit. Repertus enim est, et ex tenebris erutus sub Leone decimo, papa Romano, circa initium saeculi sextidecimi, cum Floccus vixerit circa finem saeculi quintidecimi. Vid. Voss. *de histor. Latin. lib. I. cap. 19.* Praeter hos tres nulli praefecti vrbis memorantur, nisi apud solum Manut. *de legib. Rom. cap. 2.* qui vt auctorem nobis legis Posthumiae Plinio *Hist. nat. lib. XIII. cap. 12.* memoratae daret, commentus est Posthumium quemdam praefectum vrbis sub Numa: sed ei assentire nequeo. Nam, praeterquam quod sententiam nullis testimoniis auctorum firmet, qualem quis causam habuisse Numam fingere potest, ob quam praefectus vrbis creandus esset? nisi quis id factum credat, quando se nocturnos cum Nympha Egeria congressus habuisse simularet. Sed nec potestatem praefectorum vrbis sub regibus tam late extensam reor, vt ius legum ferendarum habuerint: cui accedit, hanc legem expressis verbis apud Plinium *Numae regis Posthumiam legem* vocari. Dalecampii ergo interpretationi, quoniam verosimilior non occurrit, adquiesco, qui inde legi nomen datum putat, *quod multis annis post Numae interitum eius libri reperti sunt iuris pontificii, quibus forte eam legem iusserit.* Eiectis ex vrbe regibus,



regibus, licet quotannis Romani, vt tunc temporis res erant, grauissimis bellis infestarentur, et consules rei gerendae causa domo abesse deberent, hic magistratus in re publica non fuit. Cum enim Romani maximo odio reges, et omne, quod regni speciem prae se ferebat, persequerentur, tantoque recens adquisitionis libertatis studio tenerentur, vt Collatinum, quamquam strenuum regii generis exturbatorem, ob nominis similitudinem et sanguinis propinquitatem ex vrbe migrare coegerint, propius nimis praefectus vrbis ad regale imperium accedebat, quam vt ciues eum in vrbe ius dicentem pati possent, quoniam solus sine collega summae rei praefesset. Tandem tamen, siue euanescente hoc metu ob firmatam satis libertatem, siue cogente necessitate ob frequentia, quibus populus premebatur, bella, et accrescentes quotidie inter ciues discordias, desiderari coepit magistratus, qui absentibus consulibus et iuris dictioni et praesidio urbano praefesset. Quapropter a. v. c. 287. et partae libertatis 43. Q. Fabio et T. Quinctio *coff.* praefectus vrbis fuit Q. Seruilius, quoniam Aequi incursionibus suis ditionem Romanam infestarent. Vid. Liu. *lib.* III. *cap.* 3. Triennio post L. Lucretio Tricipitino et T. Veturio *coff.* vrbi praefuit Q. Fabius, (quem solum, siue vere, siue false, ex omni gente Fabia post commissum ad Cremeram praelium super-



fuisse tradunt historiographi), quoniam con-  
sules Volscorum populationes inhiberi do-  
mo aberant. Vid. Liu. *lib. III. cap. 8.* Anno  
deinde v. c. 293. Q. Fabio et L. Cornelio  
coll. praefecturam urbanam gessit P. Lucre-  
tius, quoniam Aequi, (*quorum velut anniuersariis armis iam adsueuerat ciuitas, ut ait Liu. lib. III. cap. 45.* vnde etiam *aeterni hostes* ei dicuntur *lib. III. cap. 16.* turbarent. Vid. Liu. *lib. III. cap. 24.* Anno sequenti, hinc Aequis bellum inferentibus, inde Sabinis ad moenia ipsius Romae praedam agentibus, urbis curam gessit Q. Fabius, cui quarto ante anno eadem prouincia commissa fuerat. Liu. *lib. III. cap. 29.* Dion. Halic. *Antiquit. lib. X. pag. 650.* Translato per factionem plebis imperio a consulibus ad tribunos militum consulari potestate abrogata aliquamdiu videtur praefectura urbana. Cum enim vel tres, vel quatuor, vel sex tribuni comitiis crearentur, vni tutela urbis mandabatur, reliqui ad rem gerendam proficiscebantur. Sic a. v. c. 328. A. Cornelius Cossus tribunus militum consulari potestate urbi praefuit, reliqui tres (quatuor enim eo anno creari placuerat), delectu habito Veios profecti sunt. Liu. *lib. III. cap. 31.* Biennio post Appius Claudius, xuri filius, tribunatum militarem consulari potestate simul cum praefectura urbana gessit, reliquis tribunis bellum administrantibus. Liu. *lib. III. cap. 36.* Atque hinc



hinc ordinarium fuisse videtur, vt vnus res urbanas, alii bellum curarent. Exempla vide apud Liu. *lib. III. cap. 45. 59.* et *lib. V. cap. 2.* Interdum autem pluribus tutela vrbis committebatur. Sic a. v. c. 370. eo modo munia inter sex tribunos militum, qui eo anno creati erant, diuisa sunt, vt Furius Camillus et P. Valerius aduersus Antiates legiones ducerent: Q. Seruilius alio exercitu instructus castra intra urbem haberet, et videret, ne qua ex Etruria vis fieret: L. Quintius praesidio urbano praeesset: L. Horatius, quae ad bella necessaria essent, subministraret: Ser. Cornelius rebus vrbis custos foret. Vid. Liu. *lib. VI. cap. 6.* Anno deinde v. c. 374. duo tribuni exercitui praefuere, quatuor reliquis ad praesidium vrbis, et si qui ex Etruria noui motus nuntiarentur, relictis. Vid. Liu. *lib. VI. cap. 22.* Post haec tempora mos creandi praefectum vrbis ex vsu abiit, et vices eius impleverunt praetores. Hi enim, cum quasi collegae consulum essent, et iisdem crearentur auspiciis, teste Liu. *lib. VII. cap. 1.* et *lib. VIII. cap. 32.* etiam militare imperium, si praesidium in vrbe esset, habuerunt. Liu. *lib. X. cap. 21.* Singulari tamen casu a. v. c. 406, quo tempore adhuc vnus praetor erat, creatus semel praefectus vrbis viderur. Quod licet non aperte tradant auctores, facile tamen colligi potest ex Liu. *lib. VII. cap. 25.* Consules eo anno erant L. Furius Camillus et P. Claudius



Claudius Crassus. . . . . Eo tempore bellum ge-  
 rebatur cum Gallis: quare patres decernunt,  
 vt consules delectum haberent, et legiones,  
 quot ad id bellum necessarias iudicarent, con-  
 scriberent. Sed dum amborum animi his  
 curis occupati sunt, et, pro ardore suo, gna-  
 uiter rei incumbunt, in ipso belli apparatu  
 alter consulum P. Claudius Crassus moritur.  
 Solus itaque Camillus propter omen nomi-  
 nis sui, quod bellis Gallicis fatale credebatur,  
 rei generendae praeficitur. . . . . Exercitum au-  
 tem decem legionum conscripserat, ex qui-  
 bus quatuor sibi retinet, et totidem praetori,  
 qui vnus tantum erat, tradit: duas reliquas  
 vrbi imponit, cui nec consul, nec praetor  
 praeesse potuerunt, quoniam cuilibet cura  
 proprii exercitus incumberet. Alius itaque  
 creati a consule non poterat, qui imperium  
 in legiones in vrbe excubias agentes accipe-  
 re poterat, quam praefectus vrbis; cuius  
 munus erat et iuris dictioni praeesse, et prae-  
 sidio militari, quod Tacit. *Annal. lib. VI.*  
*cap. II. subitis mederi* vocat. Post ea tempo-  
 ra nullum praefectum vrbis extraordinarium  
 creatum fuisse puto, sed curam vrbis praetori  
 vrmano commissam esse. *Liu. lib. XXIII. cap.*  
*9. senatusconsultum factum est, vt Q. Fulvio (is*  
*tunc temporis praetor erat) extra ordinem*  
*urbana prouincia esset: isque potissimum con-*  
*sulibus ad bellum profectis vrbi praeesset. Ex-*  
*stat etiam exemplum in re publica Romana,*  
*a. v. c.*



*a. v. c. 533.* C. Seruilio Gemino et C. Flaminio coff. commisso ad Trasimenum praelio in rebus trepidis prodicitorem creatum esse, vt urbem tutaretur. Vid. *Liu. lib. XXII. cap. 8.* Tandem Iulius Caesar morem diu intermissum reuocauit. Hic enim bello ciuili contra Pompeium occupatus, cum Romam relinquere, et bellum in Hispaniam transferre cogitaret, *licet multis necessariisque rebus in Italiam reuocaretur*, vt ait Caesar *de bell. ciu. lib. II. cap. 18.* Lepidum Romae reliquit, qui, adsumtis octo vel sex aliis, praefecturam vrbis gereret: siue quod Caesar iis, qui in magistratu erant, fidem non haberet, siue, quod propius veroidetur, quod inepti habebantur ad procuranda Caesaris negotia: minor enim eorum erat auctoritas, quam vt praesentia sua fraudes aduersariorum et alias rerum nouarum molitiones comprimerent. Lepidi praefecturam memorat Dio Cass. *lib. XXXXIII. pag. 227.* ἐπιτρέψας τὴν πόλιν τῷ Λεπίδῳ καὶ πόλιονομοῖς τισὶν ὀκτώ, ὡς τισὶ δοκεῖ, μὴ (in aliis libris melius ἢ legitur) ἑξ, ὡς μᾶλλον περὶ-σενται: *committens urbem Lepido et octo quibusdam praefectis vrbi, quemadmodum quidam volunt, vel sex, quod magis creditum est.* Et ita in nummis dicitur M. AIMIL. M. F. Q. M. LEPIDVS PRAEF. VRB. inter cuius collegas fuisse videtur L. MVNATIVS PLANCVS, similiter PRAEF. VRB. in nummis dictus, vid. Patin. *Famil. Roman.*

et



et LIVINEIVS quidam REGVLVS.  
 Vid. Patin. *ibid.* et Spanhem. *de usu et praest.*  
*numism. diss.* VI. pag. 549. Occiso Caesare  
 summa potestas ad Augultum peruenit: qui  
 Caesari succedens, cum postea ciuili contra  
 Antonium bello distringeretur, sibi vtile fore  
 ratus est, si patris exemplum imitatus vrbis  
 tutelam amico cuidam, quem sibi fidum ex-  
 pertus erat, committeret. Quapropter Cil-  
 nium Maecenatem, quem omnes eius tem-  
 poris eruditi communem patronum colebant,  
*cunctis apud Romam atque Italiam praeposuit.*  
 Tacit. *Annal. lib. VI. cap. II.* et Vell. Pat. *lib.*  
 II. cap. 88. Sed cum Augustus videret, non  
 ea Maecenatem apud plebem auctoritate va-  
 lete, qua apud se, prouidendum hac in parte  
 putauit, ne res ea plebi, nihil non in causam  
 feditionis pertrahere solitae, nouandi ansam  
 praeberet. Ipsi itaque Maecenatis admo-  
 nitione inductus Agrippam rerum gestarum  
 magnitudine insignem euocauit, cui, collo-  
 cata antea in matrimonium ipsi filia, imper-  
 rium vrbis tradidit. Xiphil. *Epit. Dion.*  
 pag. 72. ἀγανακτήσας οὐν ἐπὶ τούτῳ ὁ Αὐγού-  
 στος, καὶ μὴτε μοιγῇ τῇ Ῥώμῃ γυλάζειν δυναμέ-  
 νος, μὴτε ἀναρχοῦν αὐτὴν καταλιπεῖν τολμῶν, με-  
 τεπέμψατο τὸν Ἀγρίππαν, καὶ τὴν Ἰουλίαν αὐ-  
 τῷ τὴν ἀνδρὸς χηρεύουσαν δοῦς, ἀπέστειλεν αὐτὸν  
 εἰς τὴν Ῥώμην: hanc ob causam indignatus Au-  
 gustus, quod semper Romae esse non posset, nec  
 eam auderet sine praefecto relinquere, Agrippam  
 artesse



arcessi iubet, eique Iuliam, quae tunc vidua erat, uxorem dedit, deinde eum Romam misit. Eo quoque ob res grauioris momenti alibi occupato, cum Augustus a. v. c. 737. L. Domitio Aenobarbo et P. Cornelio Scipione coss. in Gallias tenderet, specie, vt tumultus ibi ortos sedaret, re vera; vt se e conspectu hominum, quibus praesentiam suam iam grauem norat, subtraheret, Messalam Coruinum, et mox, spernente eo huius magistratus administrationem, Statilium Taurum praeposuit Romae, ac voluit, vt hunc magistratum perpetuo gererent. Postquam recensui eos, quibus honos hic commissus fuerit, restat, vt reliqua, quae supersunt, abfoluam. Olim praefectus vrbis ab regibus eligebatur. Tacit. *Annal. lib. VI. cap. 11.* Liu. *lib. I. cap. 59.* Post eieetos reges electio stetit penes consules. Tacit. *dicto loco.* Nam nihil ex regni potestate deminutum est, sed omnia iura, omnia insignia primi consules tenuere, vt ait Liu. *lib. II. cap. 1.* Hanc postea potestatem sibi etiam imperatores vindicarunt, vt ex exemplis Caesaris et Augusti supra allatis patet: nam et illi sub principis nomine regnum tenuerunt. Plerumque haec dignitas in consulares, aliosque, qui summis honoribus functi erant, conferebatur. Praecipuum vnum dabo exemplum, ne tempus pluribus enumerandis producam. Sic Q. Fabius, quem a. v. c. 290. et 294. Romae praefuisse ostendi,



ostendi, aliquoties antea consulatum gesserat: consul enim fuit a. v. c. 285. cum Ti. Aemilio, *Liu. lib. III. cap. I.* a. v. c. 287. cum T. Quintio, *Liu. lib. III. cap. II.* et a. v. c. 293. cum L. Cornelio Maluginensi. *Liu. lib. III. cap. 21.* Constituebatur autem proficiscentibus domo consulibus propter bellum vel tumultum subito nuntiatum. *Liu. lib. III. cap. 3.* Munus eius describit Tacit. *Annal. lib. VI. cap. II. ut ius diceret, et subitis mederetur, id est, ut iuris dictioni, et praesidio militari praeesset.* Praesertim autem praesidium vrbis curasse videtur. In quibus autem ea pars muneris consistebat, docet *Liu. lib. III. cap. 8. Q. Fabius praeserat vrbis, is armata iuvenute, dispositisque praesidiis, tuta omnia ac tranquilla fecit.* Praesidium plerumque constabat ex duabus legionibus, *Liu. lib. VII. cap. 25. lib. XXIII. cap. II. lib. XXVII. cap. 37. lib. XXXI. cap. 8.* aliisque locis pluribus. Legiones autem, quae in vrbe excubias agebant, plerumque conscribebantur ex caussariis et senioribus, qui vel caussaria missione bellum reliquerant, vel honesta missione exauctorati erant. *Liu. lib. V. cap. 10. nec iuniores modo conscripsit, sed seniores etiam coacti nomina dare, ut vrbis custodiam agerent; et lib. VI. cap. 6. tertius exercitus ex caussariis senioribusque a L. Quintio scribatur, qui vrbis moenibusque praesidio sit.* Sed licet hic exercitus praecipue ad tutelam vrbis scriberetur, attamen



attamen cogente necessitate etiam contra hostem educebatur, Liu. lib. VI. cap. 9. vel interdum, si consules grauiori bello oppressi erant, auxilio adueniebant. Dion. Halic. lib. X. pag. 650. Αφικομένης δὲ εἰς Ῥώμην περὶ τούτων ἀγγελίας. Κοῖντῶ φαβιῶ ὁ καταλειφθεὶς ἐπὶ τῆς πόλεως ἐπαρχῶ, ἀπὸ τῆς σὺν αὐτῷ στρατίας, ὅσον ἦν ἀκμαιοτάτοντε καὶ κρατίστον ἐπιλέξας μέρῳ ἐπὶ συμμαχίαν ἐπέμψεν τῷ ὑπάτῳ: his Romam nuntians Q. Fabius, praefectus urbis, relictus selectum copiarum suarum robur in auxilium misit consuli. Hinc legiones urbanae ad incerta belli scriptae fuisse dicuntur Liu. lib. XXX. cap. 2. si autem maior belli moles instaret, quam ut vrbs praesidio carere posse videretur, alius scribebatur exercitus, qui ad urbem tantum castra habebat, et ad primum belli nuntium proficisciebatur, vnde tumultus ortus esset. Liu. lib. VI. cap. 6. Creatis tribunis militum consulari potestate, si plures vrbi praeerant, ita rem diuidebant, ut alter ius diceret, alter curam belli in se fusciperet. Liu. lib. VI. cap. 6. Habebat etiam praefectus vrbi ius conuocandi senatum, et ad senatum referendi. Liu. lib. III. cap. 9. cum timerent patres, ne absentibus consulibus iugum acciperent, senatus a praefecto urbis, Q. Fabio, vocatur, et cap. 29. Romae a Q. Fabio, praefecto urbis, senatus habitus triumphantem Quintium, quo veniebat agmine, urbem ingredi iussit. Dignitas praefecti

DRACKENB. de praef. urb.      B      urbis,



urbis, licet ex consularibus crearetur, ipsis consularibus minor erat. Cum enim loco consularibus magistratum gererent, sequitur, eos minori potestate, vel saltem non maiori, negotia urbana curasse. Huic accedebat, omnem administrationem urbanam plerumque ignobiliorum esse, quam provincialem, adeoque etiam tribunis militum ingrator videbatur cura urbis, quam belli. Id patet ex Liu. *lib. III. cap. 45.* ubi, certamine inter tribunos orto, *se quisque belli ducem potiore ferebat, curam urbis ut ingratam ignobilemque adsperebatur.* Sic etiam honoratior erat quaestor provincialis, quam urbanus, quod, nisi loci angustia prohiberet, pluribus argumentis probare possem: sed res quoque notior est, quam ut diutius ei inhaeream. Insignia, quibus eminebat praefectus urbis praecae civibus, erant listores et sella curulis. Vid. Dion Cass. *lib. XXXXIII. pag. 237.* Sella curulis occurrit in nummo gentis Luinae, quem exhibet Patin. in *Famil. Rom.* et Spanhem. *de usu et praest. numism. diff. VI. pag. 549.* Atque haec de primo praefecto urbis: nunc capite sequenti transeo ad alterum praefectum, feriarum Latinarum causa creatum.



CAPVT



## CAPV T III.

DE

PRAEFECTO VRBIS FERIARVM  
LATINARVM CAVSSA.

Creabatur hic praefectus consulibus in monte Albano praesidentibus feriis Latinis, idque ominis causa, ne res publica summo magistratu carere videretur. Priusquam autem eius officium exponam, pauca dicenda sunt de feriis Latinis. Instituae sunt a Tarquinio Superbo, Romanorum rege ultimo; quo respicit Liu. *lib. VIII. cap. 5.* Is enim in memoriam foederis, quod cum Latinis inierat, instituit, ut quilibet populus (erant autem quadraginta septem) quotannis legatos in montem Albanum mitteret: ubi post celebratas sollempniter epulas, ad quas singuli symbolum conferebant, communibus impensis taurum Ioui immolabant pro salute totius Latii. Taurus ille in tot partes dividebatur, quot erant populi Latini huius sacrificii participes: unicuique autem pars sua dabatur. Vid. Dion. *Halic. Antiquit. Rom. lib. VI. pag. 250.* Si autem sacrificium non rite peractum esset, vel foeda quaedam tempestas sacrificium turbasset, Latinae instaurantur, Liu.

B 2

Liu.





Liu. *lib. V. cap. 19.* et *lib. XXXX. cap. 45.* vel etiam si populus quidam querebatur, carnes sibi dari non esse. Liu. *lib. XXXII. cap. 1.* et *lib. XXXVII. cap. 3.* Erant autem feriae indictivae, quae a consulibus Romanis pro ratione temporis indicebantur: qua in re proprie scriptores utuntur voce *indici*, vid. Liu. *lib. XXI. cap. 63.* vocantur etiam *conceptivae*. Vid. Macrob. *lib. I. cap. 16.* Et ita diuerso tempore celebratae fuere. Sic a. v. c. 538: App. Claudio Pulchro et Q. Fulvio Flacco *coff.* Calendis Maiis celebratae sunt. Liu. *lib. XXV. cap. 12.* A. v. c. 574: Cn. Cornelio Scipione et P. Petilio Spurino *coff.* indictivae sunt in a. d. III. non. Maii, vid. Liu. *lib. XXXXI. cap. 16.* quae, eodem anno instaurandae, actae sunt in a. d. III. non. Sextiles, ut ait Liu. *ibid.* A. v. c. 632. L. Aemilio Paulo et C. Licinio Crasso *coff.* constitutus est dies Latinarum (in prid. Cal. Aprilis, ut corrigi debet apud Liu. *lib. XXXXIII. cap. 19.* ita enim est apud eundem *lib. XXXXIII. cap. 22.* et in lapide apud Reines. *class. III. n. 5.* Fiebant autem sacra Ioui, qui inde *Latialis* et *Latavis*, dictus est. Laetant. *de ver. relig. lib. I. cap. 21.* vbi pro *Latialis* Iuretus ad Symmach. *lib. I. epist. 9.* emendat *Latavis*. Sed utroque modo vocari puto. Lucan. *lib. I. v. 198.*

*Et residens celsa Latialis Iupiter Alba.*

Latius



Latius etiam dicitur apud Stat. *Sylvar. lib. V*  
*cap. 3. in fin.*

Scipio sic plenos Latio Ioue ducere somnos

Creditur Aufoniis, et non sine Apolline Sylva.

Quem etiam Ladicum dici apud Gruter. *pag.*  
*1065. n. 1.* tradit Reines. *ad class. I. n. 150.*

His feriis praesidebant Romani, iisque totius  
 sacrificii cura demandata erat. Dion. Halic.  
*Antiquit. Rom. lib. III. pag. 250.* ὁμοῦσι δὲ

ὑπὲρ πάντων, καὶ τὴν ἡγεμονίαν τῶν ἱερῶν ἔχου-  
 σι Ῥωμαῖοι: sacrificant autem pro omnibus, et  
 sacrificio praesunt Romani. Grauitur autem

ferebant, si consul non indistis feriis in pro-  
 uinciam abiisset. Liu. *lib. XXI. cap. 63. et lib.*

*XXII. cap. 1.* Ratio erat, quod mali ominis  
 haberetur, si feriae omitterentur. Dion

Cass. *lib. XXXXI. pag. 160. lib. LIII. pag.*  
*525.* Celebrabantur primo per vnum diem,

more ita a Tarquinio constituto: ex quo bi-  
 duum factum est, electis vrbe Tarquiniiis.

Tertius additus est reducto post secessum po-  
 pulo in urbem. Dion. Hal. *Antiquit. Rom. lib.*

*VI. pag. 415.* Tandem etiam quartum diem  
 addidere, postquam Camillus ab exilio re-  
 uocatus in urbem esset. Plut. in *Camill. in*

*fin.* Cui contrarius videtur locus Liu. *lib.*

*XXXV. cap. 3.* ob ear res gestas ductu au-  
 spicioque L. Anicii praetoris senatus in triduum

supplicationes decreuit; ut Latinae, editae a  
 consule sunt in ante quartum et tertium et pri-  
 die idus Nouembris. Sed doctissimi commen-

tautores



tatores ad eum locum iudicarunt, mendosam  
 ibi *Latinarum* mentionem esse: quare secu-  
 tus ingeniosam clariss. Jac. Gronovii conie-  
 cturam, legendum puto: *senatus in triduum*  
*supplicationes decrevit; et statim edictae a con-*  
*sule sunt* cet. Quoniam autem ominosum  
 erat, urbem sine summo magistratu esse, dum  
 consules feriis Latinis praesiderent, placuit  
 mos a prima rerum Romanarum constitutio-  
 ne introductus, ut praefectus urbis crearetur,  
 qui eo tempore urbis curam gereret. Quan-  
 do autem hic mos primo inualuerit, in tam  
 constanti omnium auctorum silentio indica-  
 res obscura est. Puto id factum, postquam  
 iam praefectus urbis, creatis pluribus praer-  
 toribus, ab usu recesserit: idque auctoritate  
 ICI in l. 2. §. 33. *de orig. iur. qui praefectus con-*  
*stitutus est, postea fere Latinarum causa intro-*  
*ductus est, et quotannis observatur.* Vocatur au-  
 tem praefectus urbis *feriarum Latinarum causa,*  
 et simpliciter *praefectus feriarum Latinarum.*  
 Capit. in *Anton. Philos. cap. 4. nec multo post*  
*praefectus feriarum Latinarum fuit.* Fallitur  
 enim ad eum locum vir summus, qui putat,  
 Latinam linguam respuere succifum illum di-  
 cendi modum. Contrarium patet ex lapide  
 apud Gruter. pag. 313. n. 9.

M. AVR. VICTORI, ad imperium  
 C. V. PRAEF. FERIAR. LATINARUM  
 SACERDOTI  
 DEL.



## DEI SOLIS.

## RELIGIOSISSIMO.

et pag. 356. n. 1. et ita Sponius in *Itiner. part.*  
 I. pag. 344. edit. *Amst.* Sic saepe quoque  
 Alex. ab Alex. *lib. VI. cap. 22.* Sed hoc iam  
 monere praecipit Rupert. *ad Pompon. de orig.*  
*iuu.* §. 33. qui tamen male tradit Calaubonum  
 in Capitolino corrigi velle *praefectum Latina-*  
*rum feriarum causa*, cum legat: *praefectum*  
*vrbi Latinarum feriarum causa*. Minoris hic  
 erat dignitatis, quam is, de quo capite praec-  
 edenti egi: vnde eius *simulacrum* dicitur ap-  
 pud Tacit. *Annal. lib. VI. cap. II.* Licet enim  
 haec quoque praefectura a nobilioribus geri  
 solet, attamen soli fere iuvenes ad eam ad-  
 mittebantur. Sic Gell. *lib. XIII. cap. 8.* ait,  
*praefectum fieri ex ea aetate, quae non sit sena-*  
*toria.* Et plurima supersunt exempla, qui-  
 bus id probari potest. Sic Drusus, Germa-  
 nici filius, hunc magistratum gessit, apud  
 Tacit. *Annal. lib. III. cap. 36.* de quo etiam  
 intelligendus lapis apud Gruter. pag. 237. n. 2.  
 Ipse Nero, postmodo imperator, praefectus  
 urbis propter ferias Latinas fuit. Suet. in  
*Neron. cap. 7.* Antoninus Philosophus a Pio  
 iam adoptatus, et in spem imperii adsumtus.  
 Capit. *Anton. Phil. cap. 4.* Rarius autem ad  
 praefecturam promoueri solebant pueri im-  
 berbes, vel equestris generis. Vtrumque  
 tamquam insolitum de Caesare notat Dion  
 Cass. *lib. XXXVIII. pag. 416.* *entre raïs*  
*aidv* *avo-*



ἀνοχαιῖς αἰρετοὶ ὑπὸ τοῦ Καίσαρος ὀλιγαρχοὶ, παῖδες ἀνηθοὶ ἐξ ἰππέων, ἀλλ' ἐκ ἐξ βουλευτῶν γεγονότες ἦσαν: *in feriis autem constituti sunt a Caesare praefecti urbis pueri imberbes ex equitibus, non autem senatoribus nati.* In alteram potius partem peccavit successor eius Augustus, qui generos suos plenae aetatis et roboris viros ὀλιγαρχίᾳ praeposuit tempore Latinarum. *Dion Cass. lib. LX. pag. 668.* Τέσσε γὰρ βρὸς τότε ἐν ταῖς ἐμοσιν ἀνδράσιν ἀρξαι, καὶ μετὰ τῆτο ὀλιγαρχίᾳ ἐν ταῖς ἀνοχαιῖς ἐπέλευσε: *generis suis tum inter viginti viros magistratum gerere, post urbis praefectos esse feriis permisit.* Constituebatur autem non nisi vnus: sed Augustus confectis bellis ciuilibus cum se pluribus, quorum opera vsus esset, obligatum cerneret, multa in rem publicam praeter consuetudinem introduxit, et quosdam magistratus olim incognitos instituit, vt iis pro nauata opera gratiam referre posset. Inter reliqua vero voluit feriis Latinis duos praefectos singulis diebus ὀλιγαρχίᾳ praeesse, idque factum est a. v. c. 731. Augusto XI. et Calpurnio Pisone coss. *Dion Cass. lib. LIII. pag. 519.* καὶ ἐν ταῖς ἀνοχαιῖς δύο κατ' ἐκάστην ἡμέραν ἐπολιγαρχίαν: καὶ εἰσγε τις αὐτῶν εἰς εἰς μεράκιον πωτελῶν ὅμως ἤρχεν: *feriis bini singulis diebus praefecti urbis fuere: interque eos vnus, qui nondum iuuenilem aetatem attigerat.* Postea iterum morem per tot annos receptum obferuari voluit, et vnum tantum praefectum ὀλιγαρχίᾳ



urbis instituit. Dion Cass. *lib. LIII. pag.*  
 532. Τὸν τε πολιάρχον τὸν ἐς τὰς ἀνοχὰς κα-  
 θιστάμενον ἕνα αἰεὶ αἰεῖσθαι: *ut unus semper*  
*praefectus urbis propter ferias constitueretur.*  
 Creabatur autem quotannis: qui quidem mos  
 longissimo tempore in vſu fuit. Sub Alexan-  
 dro Seuero adhuc vſitatum fuiſſe, patet ex  
*l. 1. §. 33. D. de orig. iur.* vbi id quotannis ob-  
 ſeruari notat Pomponius, qui ſub eo vixit.  
 Sub Commodo praefectus urbis Latinarum  
 cauſa fuit Lupus quidam apud Gruter. *pag.*  
 356. *n. 1.* ſub Valeriano Domestius Paulinus  
 apud Reines. *claff. VI. n. 114.* Si modo la-  
 piſad ea tempora referendus ſit. Manifeſtius  
 ex Gruter. *pag. 313. n. 9.* ſi conferatur cum  
*pag. 274. n. 5.* patet, hanc praefecturam ſub  
 Gallieno in vſu fuiſſe. Rarius interdum acci-  
 debat, vt nullus crearetur praefectus urbi.  
 Exemplum eſt apud Dion. Cass. *lib. LIII. pag.*  
 525. Ταραχῆς δὲ τινὸς περὶ τὴν τῷ πολιάρχῳ  
 τῷ διὰ τὰς ἀνοχὰς αἰρομένῃ χειροτονίᾳ συμ-  
 βῶσθαι ἐν ἐπεκράτησαν αὐτῆς, ἀλλὰ ἀνευ τῆς  
 ἀρχῆς ταύτης τὸν ἐνιαυτὸν ἐκείνον διεγένοντο: tu-  
 multum autem, qui propter praefectum urbis ad  
 ferias conſtituendum exiſtiterat, cum componere  
 non potuiſſet, annus ille ſine hoc magiſtratu tranſ-  
 actus eſt. Officium huius praefecti erat, vt  
 munus conſulare uſurparet, vid. Tacit. *Annal.*  
*lib. VI. cap. 11.* et loco conſulum ius diceret.  
 Sed cum plerumque a iuuenibus gereretur,  
 cauſae tantum leues et minimi momenti co-  
 ram



ram ipsis disceptabantur. Sic Suet. in *Neron. cap. 7.* vbi hoc extraordinarium in praefectura Neronis notat: *auspicatus est iuris dictionem praefectus urbis sacro Latinarum celeberrimis patronis non translaticias, ut assolet, et breues; sed maximas, plurimasque postulationes certatim ingerentibus: quamuis interdictum a Claudio esset.* Vide etiam Tacit. *Annal. lib. IIII. cap. 36.* Ius quoque senatum conuocandi habuisse, patet ex Gell. *lib. XIII. cap. 8.*

## C A P V T IIII.

DE

## VLTIMO PRAEFECTO SVB IMPERATORIBVS CREATO.

**E**narratis iis, quae pertinebant ad praefectum urbis extraordinarium, transco ad praefectum urbis ordinarium, cuius origo ad tempora Augustaea referenda est. Hic itaque ab Augusto institutus est, ut auctor Suetonius est in *August. cap. 37.* vbi inter noua ab Augusto cogitata officia recensetur praefectura urbis. Nam cum plurimis negotiis, ut in recens instituto imperio fieri solet, distringere-  
tur, et omnibus obeundis solus non sufficeret, consilio Maecenatis, quod refert Dion  
Cass.



Cass. *lib. LII. pag. 478.* (eius enim auctoritati talibus in rebus non pauca tribuebat), praefecturam vr̄bis instituit, vt esset magistratus ordinarius, et Messalam Coruinum, teste Tacit, *Annal. lib. VI. cap. II.* primum vr̄bi praeposuit. Ipse autem terras longinquas regendas suscipiebat. Videbat enim prouidus imperator, ex praesentia sua facillime contemptum, et ex contentu tumultum oriri posse; praesertim apud populum, cui seruitutis iugum, licet clementissimum, intolerabile videbatur, et cui tantum regii nominis odium innatum sciebat, quantum maximum. Ne itaque id, quod sollicitè verebatur, contingeret, praefectum instituit, qui ea, qua ipse solebat, auctoritate vr̄bi praesesset, vt immensa illa, qualis nulla ciui data fuit, potestate populum ferocem, et vsque libertatem spirantem in officio contineret. In alia omnia abeunt viri eruditissimi, Panciroll. *ad Dignit. occid. cap. 3.* Tiraquellus *ad Alex. ab Alex. lib. VI. cap. 20.* Torrent. *ad Suet. Aug. cap. 37.* et alii, qui putant, non institutam, sed mutatam esse praefecturam vr̄bis ab Augusto. Nos autem veriori Gronouii sententiae subscribimus, qui in *Obseru. in eccles. script. cap. 19.* praeter nomen nihil antiquum habuisse docet. Nam manifestae adeo sunt differentiae inter vtrumque, vt nesciam, quaenam causa fuerit, quae viros doctos dissentire coegerit. Hic enim iudicabat ex mandato

ib

con-



consulum; ille vi sui magistratus: hic admi-  
 nistrabat honorem extraordinarium ad par-  
 uum temporis spatium, quamdiu nempe con-  
 sules aberant; ille ordinarium et perpetuum.  
 Quod autem de nomine obiiciunt, quod vtri-  
 que idem fuit, nullius momenti est: sed ex  
 eo elucet maxima Augusti sapientia, quid  
 sibi apud populum profuturum norat, ut ni-  
 hil mutasse crederetur, et tamen omnem ad-  
 ministrationem ad se rapere posset. Ad e-  
 xemplum Augusti omnes postea imperatores  
 sequentes ius constituendi praefectum vrbis  
 sibi retinuerunt. Sic Symm. *lib. X. epist. 22.*  
 imperatori Valentiniano gratias agens ait:  
*quieto mihi, et iam pridem a desideriis honorum*  
*remoto praefecturam multis cupitam sponte tri-*  
*buisisti; et epist. sequ.* Cassiod. etiam *Var. lib.*  
*III. cap. 11.* vbi Theodoricus, rex Romanus,  
 ad praefectum vrbis scribens, ait: *praefecturae*  
*urbanae insulas tibi copiosa liberalitate largi-*  
*mur: ut paternis honoribus successio clara lae-*  
*tetur.* Non moratur me Lazius *de re publ.*  
*Rom. lib. XI. cap. 2.* qui praefectos vrbis a *se-*  
*natu dari solitos fuisse* opinatur: idque ex  
 corrupto Lampridii loco in *Alex. Seu. cap. 19.*  
*praefectum vrbis a senatu accepit.* Sed dudum  
 est, quod viri doctissimi, Casaubonus et Gru-  
 terus, notarunt, pro *a senatu*, legendum esse  
*e senatu.* Ut sensus sit, Alexandrum Seue-  
 rum in usum reuocasse morem olim obserua-  
 tum, praefectum vrbis ex senatoribus eligen-  
 di,



di, quem Elagabalus, imperatorum turpifimus, neglexerat. Nam monstrum illud hominum inter caetera scelera honores dabat, non pro cuiusque meritis, sed eos vendebat, et plus offerenti addicebat. Lamprid. in eius vit. cap. 6. *vendidit et honores, et dignitates, et potestatem, tam per se, quam per omnes seruos libidinum ministros. In senatum legit sine discrimine aetatis, census, generis, pecuniae merito, militaribus etiam praeposituris, et tribunatibus, et legationibus, et ducatibus venditis, etiam procurationibus, et palatinis officiis.* Sed si iam retinenda sit vulgata lectio, minime sequetur, praefectos vrbi a *senatu dari solitos fuisse.* Cum enim versetur eo capite Lampridius in describenda Alexandri Seueri indulgentia extraordinaria, qua vniuersum senatum amplectebatur, inde nullum argumentum peti potest, ad probandam consuetudinem vsu receptam. Ea enim Alexandri benignitas, qua tanta senatui tribuit, ad alios imperatores non pertinet; qui vel nihil senatui indulerunt, vel non eadem indulgentiae specimina ediderunt. Ratio autem, quare imperatores praefectorum vrbis constitutionem sibi retinuerunt, forte eorum potentia fuit, qua praecae caeteris magistratibus excellebant. Cum enim praefectus vrbis, vt ait Cassiod. *Var. lib. VI. cap. 3. copiose haberet, unde sibi gratiam tantae ciuitatis acquireret,* et vt plurimum, si popularis esset, gratia apud plebem valeret, timendum erat,

ne,





ne, si quando tutela vrbis ferociori committeretur, et is alienatori ab imperatore animo esset, potestati suae nimium confidens res novas moliretur. Retinendo itaque ius constituendi praefectum vrbis efficiebant imperatores, ut is, qui ad eam dignitatem eueheretur, semper eorum muneris esset, et ita verecundia ab impiis erga auctorem suum consiliis, si forte animo agitare, reuocaretur, quod nec metus, nec timor supplicii alioquin facere poterat. Nam, ut ait Cic. *Tuscul. quaest. lib. XI. cap. 21. saepe videmus fractos pudore, qui ratione nulla vincerentur.* Et id a Romanis semper inter arcana imperii habitum, ut, quos alio modo non possent, beneficiis sibi deuincirent. Egregium exemplum praebet Marcellus apud Liu. *lib. XXIII. cap. 15. et 16.* vbi narrationem his verbis concludit auctor: *hac comitate Marcelli ferocis iuuenis animus adeo est mollitus, ut nemo inde foeciorum rem Romanam fortius ac fidcius iuuerit.* Theodosius magnus etiam acerrimos ethnicae religionis propugnatores hoc strategemate sibi conciliauit, licet ipse ardentissimo studio religionem Christianam amplecteretur: quod Symmachi et aliorum exemplo probari potest, quos falso deorum cultui addictos ad summos honores, etiam praefecturam vrbis promouit. Administratio vrbis vni semper commissa fuit, nec in ea vquam variationem legimus, nisi quod Elagabalus in animo ha-



habuerit, ea potestate quatuordecim viros instituire, vt finguli fingulis vrbis regionibus praecessent. Lampr. in *Elagab. cap. 20. voluit et per singulas vrbis regiones lenones praefectos vrbi facere, vt essent in vrbe XIII. et fecisset, si vixisset, promoturus omnes turpissimos et vltimae professionis homines.* Vt cum locum optime constituit Casaub. in *not. ad Aug. hist. scriptores.* Vide etiam de eo Fabrum, *Semestr. lib. I. cap. 5.* Id, quod Elagabalus morte occupatus efficere non potuit, perfecit eius successor, Alexander Seuerus, nisi quod non lenones, aliosue vilissimos, sed consulares quatuordecim, quos *curatores vrbis* vocauit, praefecto vrbis adiunxerit. Lamprid. in *Alex. Seuer. cap. 33.* Olim hic magistratus alicui per omnem vitam prorogabatur, nisi se crimine indignum redderet, vel senectute ei gerendo impar esset. Sic Maecenas suadet Augusto de praefectura vrbis et magisterio morum, apud Dion. Cass. *lib. LII. pag. 478.*

ἀρχέτωσαν δὲ δὴ οἱ δύο δια βίον, ἀνγε δὴ μὴ κακῶνδὴ τις αὐτῶν τρόπον τινα, ἢ καὶ νοσώδης ὑπεργηρωῖς γένηται. ἐκ μὲν γὰρ τῆς χρονίου ἀρχῆς οὐδὲν ἂν δεινὸν αἴτε ὁ μὲν παντελῶς ἀσπλαγῆστων, ὁ δ' ὀλίγουστε στρατιώτας ἔχων, καὶ ἐν τοῖς σοῖς ὀφθαλμοῖς τὸ πλείστον ἀρχῶν ἐργάσαιντο: his duobus magistratus per omnem vitam prorogatur, nisi si quis aliquod crimen aduiserit, morboe aut senectute confectus sit. Nam ex diuturno hoc imperio nihil potest mali accidere, cum alter

TYIAS  
omnino



omnino armis careat, alter paucos milites habeat, ac coram te maiorem partem sui magistratus obeat. Postea id mutatum est, a quo autem imperatore, non constat. Fuit tunc tempus incertum, et pro arbitrio imperatorum nunc longius prorogabatur, nunc contrahebatur. Sed tamen culpati sunt ab historicis illi, qui honores modo his, modo aliis, committebant. Sic Lamprid. in *Commod. cap. 14. praefectos Paternum et Perennem non diu tulit, ita tamen, ut etiam de his praefectis, quos ipse fecerat, triemium nullus impletet: quorum plurimos interfecit vel veneno, vel gladio. Et praefectos urbi eadem facilitate mutauit.* Post Gallieni tempora quolibet fere anno, et interdum bis terue eodem anno, mutabantur praefecti. Patet id ex Anonymo illo, quem Cuspinianus primum, deinde Aeg. Bucherius edidit, et postea celeberrimus Graevius *tomo XI. Thesauri antiquitatum Romanarum* inseruit, qui omnes urbis praefectos ab anno erae Christianae 254. ad annum 355. reliquit. Patet id quoque ex inscriptione et subscriptione legum vtriusque Codicis, et Theodosiani et Iustiniani, si quis id tanti putet, ut ex eo indiculus ordine chronologico, digerere velit.



CAPVT



\*\*\*\*\*  
CAPVT V.

DE HIS,

QVI AD PRAEFECTVRAM VRBIS  
ADMITTVNTVR, EORVMQVE

DIGNITATE.

**A**bolito discrimine inter plebem et patri-  
cios, omnium honorum petitio cunctis  
ciuibus Romae patuit. Sed quoniam sena-  
tus feminarium erant equites, et magistra-  
tuum ordo senatorius, raro aliquis ad hono-  
res curules admittebatur, nisi singulari bene-  
ficio, qui non in senatum allectus esset; quod  
praesertim olim in praefectura urbana obser-  
uabatur, quae nulli, nisi senatori, patuit.  
Dion Cassius *lib. LII. pag. 480.* de praefectu-  
ra urbis, aliisque honoribus, ait, τῆς μὲν δὲ  
βουλευτῆς ταύτατε καὶ ἔτιω διέπειν ὅμηρὸς χρη-  
μαί: ac senatoribus quidem haec officia esse adsi-  
gnanda dico. Et hinc inter inaudita, quae  
Carinus imp. fecit, notatur, quod vni ex  
cancellariis suis, quorum munus vilissimum  
erat, urbem aeternam regendam dederit.  
Vopiscus in *Vit. Carin. cap. 16.* amicos opti-  
mos quosque relegauit, pessimum quemque elegit  
ac tenuit. Praefectum urbi unum ex cancella-  
riis

DRAKENB. de praef. urb. C



riis suis fecit, quo foedius nec cogitari potest aliquando, nec dici. Longe aliter cum praefectura praetoriana comparatum erat; ad eam enim solummodo equites admittebantur. Quod Augusto suavisse Maecenatem, auctor est Dion Cass. lib. LII. pag. 480. Idque calidissimo consilio: verebatur enim Augustus, et, qui hoc ei consilium dederat, Maecenas, ne ordo senatorius nimiam dignitatem ei, cui omnis exercitus et castra praetoriana commissa erant, adderet. Eodem modo etiam Aegyptus, accessu difficilis, et maximum Romani imperii horreum, ab equite regebatur, adeo, ut sine imperatoris consensu eam senatori non licuerit intrare. Dion. Cass. lib. LIII. pag. 504. Tacit. Histor. lib. I. cap. II. Primus ex senatoribus praefecturam praetorii gessit Titus, Vespasiani filius. Sueton. in Vespas. cap. 6. praefecturam quoque praetorii suscepit, numquam ad id tempus, nisi ab equite Romano, administratam. Quod a sequentibus imperatoribus, et forte Tito vel Domitiano, iterum abrogatum est, ut colligi potest ex Capitol. in Pertin. cap. 2. praeter illam orationem, quam longum fuerit commemorare, saepissime Pertinax a Marco et in concione militari, et in senatu laudatus est, doluitque palam Marcus, quod, cum senator esset, praefectus praetorio fieri a se non posset. Omnem rationem mutavit iterum Alexander Seuerus, qui instituit, ut nullus ad fastigium praef-



praetorianum admitteretur, nisi senator, cuius etiam rei hanc tradidit causam, ne is, qui senator non erat, de senatore iudicaret. In prouinciis enim et extra Italiam iuris distinctio praefecti praetorio etiam in senatores extendebatur. Vid. Lamprid. in *Alex. Seuer. cap. 21. praefectis praetorio suis senatoriam addidit dignitatem: ut viri clarissimi et essent, et dicerentur: quod antea vel raro fuerat, vel omnino non fuerat* cet. Alexander autem idcirco senatores esse voluit praefectos praetorii, ne quis non senator de Romano senatore iudicaret. Ex quo ergo patet, dignitatem maiorem praefecturae urbanae, quam praetorianae, ab initio fuisse. Non tantum autem praefectus urbis senator, sed, quod posteriori tempore inuoluit, etiam princeps senatus fuit. Cassiod. *lib. I. epist. 42. et lib. VI. epist. 4. senatus mirabili opinione gloriosus probatur habere praefulem, quem mundus suscipit iura condentem; vbi mallet legere, suspicit, id est, veneratur, admiratur, quomodo optimi quique auctores locuti sunt. Virgil. Eclog. VIII. v. 46.*

*Daphni, quid antiquos signorum suspicis ortus.*  
Corn. Nep. in *Dion. cap. I. humi a Dionysio missum Carthaginenses suspexerunt, ut neminem umquam Graeca lingua loquentem magis sint admirati; vbi idem vitium vulgatis editionibus etiam infedit, in quibus est susceperunt, in aliis, suscipiunt. Sed in codice P.*



Danielis et optima editione Ultraiectina est  
*suspexerunt.* De ea voce vide Seru. *ad Virg.*  
*Aen. lib. I. v. 438.* qui id verbum per *miratur*  
*exponit, eique opponi tradit despicit,*  
 quomodo est apud Cic. *de offic. lib. II. cap. 10.*  
*Vocatur quoque praefectus vrbis praefectus*  
*senatus apud Sidon. Apoll. lib. I. epist. 9. egit*  
*cum consule meo, ut me praefectum faceret se-*  
*natui sui.* Quo respicit et idem *lib. VIII.*  
*epist. 16.*

--- accepi capiens honorem,

Qui patrum ac plebis simul vnus olim

Iura gubernat.

Hinc ius habuit ante omnes, etiam ante con-  
 sulares, sententiam dicendi. *Cassiod. lib. VI.*  
*epist. 4. consideres (malo confides) supra omnes*  
*scilicet consulares, sententiam primum dicis, et*  
*in illa libertatis aula reuerendus adspicieris,*  
*in qua commissos habere mundi primarios ad-*  
*probaris.* Princeps autem senatus sub re pu-  
 blica dicebatur is, qui primus senatorum le-  
 gebatur, quod constitit in arbitrio censorum.  
*Vid. Liu. lib. XXVII. cap. 11.* Praefecto vr-  
 bis mandabant imperatores, et postea reges  
 Romani, quaecumque a senatu fieri volebant.  
 Sic de senatus consultis aeri incidendis, et in  
 atrio b. Petri proponendis, apud *Cassiod. lib.*  
*VIII. epist. 16.* Rescripta imperatorum ad  
 senatum data per eum quoque recitabantur.  
 Vide subscriptionem *l. i. C. de bon. matern.*

Ad



Ad eum scribebant imperatores de iis, quos in ordinem senatorum referri volebant. *Cassiod. lib. III. epist. 33. lib. IIII. epist. 25. et lib. I. epist. 42.* Videtur etiam imperatori fugessisse eos, quos ordine amplissimo dignos iudicabat. *Symmach. lib. X. epist. 25.* Non omnis etiam senator ad praefecturam urbis admittebatur, sed iam aliquos honores debuerat gessisse. *Dion Cassius, lib. LII. pag. 478.* Πολίταρχος δὲ δὴ τις ἐκ τῶν προηγουμένων καὶ τῶν πάντα τὰ καθήκοντα προπεπολιτευμένων ἀποδεικνύσθω: praefectus etiam urbis ex primariis viris quidam creandus est, qui omnes magistratus, quos geri ante hunc convenit, gesserit. Licet autem non exprimat, quosnam honores intelligat: tamen verosimile est, eum intellexisse omnes ordinarios, etiam consulatum. *Tacitus enim Annal. lib. VI. cap. 11.* tradit, Augustum praefectum urbis ex consularibus creasse. Et ita se consularem fuisse, antequam ad praefecturam urbis admo-ueretur, docet *Symmach. lib. X. epist. 22.* Ex his constare puto, quo loco habita fuerit praefectura urbana. Sane supra omnes alios eminebat: vnde *Corvinus*, libertatis studiosissimus, cui primo praefecturam dederat Augustus, eam inciuilem potestatem esse contestans, sexto die magistratu se abdicauit. Vid. *Hieron. Chron. Euseb.* et de eo loco *Gronouii Observat. in eccles. scriptor. cap. 19.* Ita *Cassiod. lib. VI. epist. 4.* nemo amplius videtur erigi, quam cui



potuit Roma committi. Nec mirum est: principis enim, et imperatoris vicem tueri dicuntur, apud Symmachum saepe, et l. 13. *C. Th. de adpell.* De suo iam tempore Stat. *Sylu. lib. I. cap. 4. v. 6.*

--- stat proxima ceruix

*Ponderis immensi.*

Plurimum autem eius amplitudini contulerunt imperatores Valens, Gratianus, et Valentinianus, quorum haec exstat notanda constitutio in l. 3. *C. de offic. praef. urb. praefectura (urbis) cunctis, quae intra urbem sunt, dignitatibus antecellat, tantum ex omni parte deriuatis, quantum sine omni iniuria ac detrimento honoris alieni usurpat.* Priores etiam consulibus erant praefecti urbis, et illis in senatu praesidebant, vid. *Nou. LXII.* ita tamen, ut consules maiorem dignitatem adepti viderentur, praefectura autem urbana potestate praeualuerit. Vid. *Casaub. ad Spart. Hadrian. cap. 8.* Nam ipsi saepe imperatores consulatus insignia gesserunt: vnde Claudiano alibi *portus honorum* vocatur, tamquam omnium honorum maximus. *Trebellius Pollio* etiam in *Vit. XXX. tyrann. cap. 33.* enumerans honores, ad quos *Cenforinus* euectus fuit, primo eius consulatum, tum praefecturam praetorio, post praefecturam urbis memorat, et demum omnes honores minores, ut a maiore ad minorem gradatim descendat.



scendat. Vide Salmat. *ad eum locum.* Idem fere ordo etiam obseruatur in *l. 64. C. de decurion.* In qua lege ordine enumerantur ii, qui patricii, consules, consulares, magistri militum, praefecti praetorio orientis et Illyrici, et praefecti vrbis fuerant: qui ordo etiam obseruatur in *l. ult. C. eod.* nisi quod ibi magistri militum praefecto vrbanos postponantur. Illi enim aequali dignitate fuerunt: vnde totus titulus in *Codice Iustiniano* exstat *de praefectis praetorio siue vrbis, et magistris militum in dignitatibus exaequandis;* licet tamen aliquanto minor erat dignitas magistris militum. *l. i. C. de praepos. sacr. cubic.* Eadem autem dignitate etiam erant praepositi sacri cubiculi. Vid. *dit. l. i. C. eod.* Quemadmodum autem praefectus vrbis eminebat supra omnes intra urbem magistratibus, ita praefectus praetorio summam per prouincias dignitatem obtinebat. Maiorem autem honorem, si hos quoque inter se conferas, consecutum olim puto praefectum vrbis, sed maiorem potestatem habebat praefectus praetorio: praefectura enim vrbanos erat dignitas senatoria, praetoriana autem equiti committebatur. Sed deinde ipse praecerat omnibus cohortibus praetoriis, penes quas robur imperii erat, cum praefectus vrbis quosdam tantum milites vrbanos et stationarios sub se habuerit, vt infra latius docebimus. Postea, cum vtriusque magistratus auctoritas quoti-



die adreſceret, et indulgentia principum iam illud conſecuti viderentur, vt maiora, niſi ipſum imperium, petere non poſſent, eiufdem fere dignitatis habitū ſunt, et pro fauore, quo imperator aliquem amplectebatur, alter alteri praelatus eſt. Vid. *l. 1. C. de praefectis praet. iuncta l. 64. l. ult. C. de decur. et Nouell. LII.* Praeſertim tamen poſt Theodoſii iunioris tempora praefectus vrbi poſt praefectum praetorio nominatur. Vid. *l. 13. C. Th. de adpell. et ibi Gothofr.* In *Notitia* etiam *utriuſque imperii* vbique poſtponitur.

\*\*\*\*\*

CAPVT VI.

DE

IVRIS DICTIONE PRAEFECTI

VRBIS.

Cum varia ſemper munera in re publica Rom. obtinuerit praefectus vrbiſ, facile ſibi primum locum iuris dictio vindicat, quae ipſi latiffima conceſſa eſt: tribunali enim eius ſubiecti fuere omnes ciues in vrbe Roma. Is enim non ad id ſolum inſtitutus eſt, vt coeſceret ſeruitia, quod volebat Lipſ. *ad Tacit. Annal. lib. VI. cap. 11.* ſed ab initio iam de omnibus cauſſis capitalibus, a quibus pro- uocatio



uocatio concedebatur, iudicauit. Dion Cass.  
*lib. LII. pag. 478.* Posterioribus certe tem-  
 poribus omnes ciues in vrbe Roma degentes  
 ei subiecti erant. Symmach. *lib. X. epist. 23.*  
 Excipiebantur tamen viri illustres, qui, si  
 crimen aliquod, procuratorem non admittens,  
 commisissent, causam suam apud ipsum impe-  
 ratorem agebant. Secus ac illi, qui honora-  
 rios codicillos ab imperatore impetrarant, de  
 quorum delictis cognoscebat praefectus vrbis.  
*l. 3. pr. et §. 2. C. ubi senator vel clariss.*  
 Nam semper honoratori loco habebantur  
 illi, et maiori immunitate donati sunt, qui  
 ipsas dignitates gesserant, quam quibus hono-  
 rum tantum insignia concessa erant. *l. ult. C.*  
*de decur.* In leuioribus autem delictis viri il-  
 lustres per procuratorem causam defendebant  
 ad tribunal praefecti vrbis, nec praescriptio-  
 ne fori vti poterant, praesertim in iis litibus,  
 quae circa exstructionem aedium moueban-  
 tur. *l. 12. §. 7. fin. C. de aedif. priuat.* Prae-  
 terea licet potuerit iudicare de maleficiis fe-  
 natorum, vt patet ex Cassiodor. *lib. I. epist. 32.*  
 tamen, si res intricata esset, de qua agebatur,  
 ea ad imperatorem referri debebat. *l. 10.*  
*C. Th. de malefic. et mathem.* Praeterea de  
 iis non iudicabat praefectus vrbis, nisi adhibi-  
 tis in consilium quinque senatoribus, Cassiodor,  
*lib. III. epist. 22. et l. 13. C. Th. de accusat.*  
 quos sorte ductos, non voluntate propria  
 electos, accipiebat, ne fraus fieret legi, *d. l.*



13. et l. 12. *C. Th. de iuris dict.* si autem clare de crimine constaret, et grauior in maleficum sententia ferenda esset, ea nec executioni mandari, nec pronuntiari poterat, nisi antea inquisisset imperatoris voluntatem super eam. l. 10. *C. Th. de pen.* Terminabatur autem eius iuris dictio intra centesimum ab vrbe lapidem: vnde per excellentiam penes eum custodia vrbis esse dicitur apud Stat. *Syluar. lib. I. cap. 4. v. 15.* et *Roma committi*, apud Cassiodor. *Varior. lib. I. epist. 32.* et *lib. VI. epist. 4.* et *rem publicam regere*, apud Capitol. in *Vit. Gord. cap. 13.* et ita forte per magistratum vrbis etiam intelligendus est praefectus vrbis apud Symmach. *lib. III. epist. 24.* Hoc autem spatio circumscriptam esse eius potestatem ius dicendi, constat ex l. 1. §. 4. *D. de praef. urb.* quod sexcenta et quinquaginta stadia vocat Dion Cass. *lib. LII. pag. 478.* Rationem hanc tradit Cassiodor. *Varior. lib. VI. epist. 4. ne tantae ciuitatis iudicem muralis agger intercluderet, cum Roma omnia possideret.* Extra ordinem autem Augustus peregre profecturus Statilio Tauro reliquae etiam Italiae curam dedit, apud Dion. Cass. *lib. LIII. pag. 534.* και οὕτω τὸ μὲν ἄστυ τῷ Ταύρῳ μετὰ τῆς ἄλλης Ἰταλίας διοικεῖν ἐπιτρέψας ἐξωρμησεν: deinde urbem cum reliqua Italia Tauro gubernandam tradens profectus est: nisi per Italiam regiones suburbicarias intelligamus. Ordinarie autem omnia ea, quae intra urbem finiri de-



debebant, spatio centesimi miliaris circumscri-  
bebantur. Vid. l. 42. D. de excusat. Ob iu-  
ris dictionem ipsi attributam iudicare dicitur,  
et quidem *sacra vice*, id est, vice imperato-  
ris, in corpore Gruteriano pag. 170. n. 5. pag.  
193. n. 9. 10. pag. 280. n. 6. pag. 285. n. 8.  
pag. 287. n. 2. et tribunal eius vocatur *sacrum*  
*iudicium*. l. 7. C. de adpell. Omnia enim, quae  
agit, vice imperatoris facit, cuius quasi vica-  
rius erat: quo videtur alludere Stadius, *Syluar.*  
*lib. I. cap. 4. v. 91.*

- - - cum tanti lectus rectoris habenas

*Gallice, fortuna non admirante, subissi.*

Distinguit autem Gutherius de offic. dom. Aug.  
*lib. I. cap. 25. pag. 125.* inter *sacra vice iudi-*  
*care*, et *sacra vice cognoscere*, prius esse iure  
magistratus, cognitionem vero ex rescripto  
principis. Non semper autem praefectus vr-  
bis ipse iudicabat, sed interdum alteri iuris  
dictionem mandare poterat. l. 12. §. 7. *fn. C.*  
*de aedif. priuat.* Causae vero, quae ipsi deci-  
dendae datae sunt, plures fuere, adeo vt di-  
cat ICtus in l. 1. *pr. D. de offic. praef. urb.* *o-*  
*mnia omnino crimina praefecturam urbis sibi*  
*vindicasse.* Olim autem Augustus praefectum  
urbis illis quaestionibus praefecerat, a quibus  
adpellatio erat, etiam capitalibus, alias au-  
tem sibi seruabat. Arcano nempe politico,  
ne alicui summum ius foret de causa quadam  
inuito imperatore statuendi. Sic Dion Cass.  
*lib. LII. pag. 478.* de munere praefecti urbis  
dis-



differens ait: Ὅχι ἵνα ἀποδημησάντων ποῦ τῶν  
 ἰππάρχων ἀρχῇ, ἀλλ' ἵνα ταῦτε ἄλλα αἰετῆς  
 πόλεως προσητῇ, καὶ τὰς δικὰς τάσπε παρὰ  
 πάντων ἀνείπων ἀρχόντων ἐφειμίμουςτε καὶ ἀνα-  
 πομπίμους καὶ τὰς τοῦ θανάτου, τοῖς δὲ ἐν τῇ  
 πόλει, πλὴν ὧν ἀνείποι καὶ τοῖς ἐξω αὐτῆς μέχρι  
 πενητήκοντα καὶ ἑξακοσίων σταδίων ὁμοῦσι κρινῇ:  
*non ut per absentiam magistratum rem publi-  
 cam administret, sed ut, cum reliquis in rebus  
 urbi praesit, tum causas quoque eas, quibus pro-  
 uocatio competit, capitalesque etiam omnes, ex-  
 ceptis iis, quae postdicam, in urbe, ac extra eam  
 usque ad quingenta et sexaginta stadia diiudicet.*  
 Omnia eius iudicia enumerantur in l. 1. D. de  
*offic. praef. urb.* De singulis adcuratius vi-  
 debo. In genere praefectus urbis iudicabat  
 de omnibus controuersis inter seruum et do-  
 minum. Nam, teste Tacit. *Annal. lib. VI.*  
*cap. 11. seruitia coërcuit; et hoc quoque officium*  
*praefecto urbis a diuo Seuero datum est, ut man-*  
*cipia tueatur, ut ait ICtus l. 1. §. 8. D. de offic.*  
*praef. urb.* Rationes, quibus instigatus ser-  
 uus dominum in ius vocare poterat, et auxi-  
 lium a praefecto urbis petere, refert ICtus l.  
 1. §. 1. et 8. D. de offic. praef. urb. Apud praefec-  
 tum urbis quoque patronus de ingrato a-  
 nimo liberti sui, cui libertatem, rem inaefti-  
 mabilem, dederat, exposulabat. l. 1. §. 2.  
 et 10. D. eod. et l. 2. C. de libert. et cor. liber.  
 Omnes illas quoque causas cognoscebat,  
 quae prouocatione ad eum delatae erant: a plu-



plurimis enim magistratibus ad praefectum  
 vrbis adpellatio dabatur; vt a rationali vrbis  
 Romae, l. 18. *C. Th. de adpell.* a praetoribus,  
 l. 17. *C. de adpell.* a iudicibus prouincialibus,  
 qui lege praefecto vrbis adsignati erant. Cas-  
 siod. *Varior. lib. VI. epist. 4.* Tempore vero  
 imperatoris Taciti omnes iudices prouincia-  
 les eum adpellabant. Vopiscus in *Vit. Florian.*  
*cap. 9. omnis prouocatio praefecti vrbis erit.* Et  
 paullo post: *praefecturae vrbanae adpellatio*  
*vniverfa decreta est.* Sed clarius *capite 6. re-*  
*dierunt ad praefectum vrbis adpellationes omnium*  
*potestatum, et omnium dignitatum.* Patet er-  
 go, non intellecta fuisse haec loca a Pancirol-  
 lo in *notis ad Notit. dign. occid. cap. 3.* cum ex  
 iis probare velit, adpellationes ad praefectum  
 vrbis tantum factas fuisse ex prouinciis lege  
 illi adsignatis. Ad curam praefecti vrbis quo-  
 que pertinebat, vt videret, ne nummularii  
 incautis hominibus imponerent. l. 1. §. 9. *D.*  
*de offic. praef. vrb.* Ad eum quoque refere-  
 bant curatores viarum et regionum de impro-  
 bitate publicanorum, qui praeter vestigal,  
 publica auctoritate constitutum, viatoribus  
 pecuniam extorquebant. Capitol. in *Vit.*  
*Anton. philos. cap. 11.* Expilatae hereditatis  
 crimen extra ordinem ad eum pertinuisse di-  
 citur in l. 3. *D. expilat. hered.* Dein tutores  
 vel curatores, qui male in tutela vel curatela  
 versati erant, adeo, vt iis non sufficeret or-  
 dinaria poena infamiae, ad praefectum vrbis



remittuntur; *l. 1. §. 7. D. de offic. praef. urb.* et etiam illi, qui pecunia iudices corruperant, ut sibi pupillorum tutela daretur. §. 10. *Inst. de suspect. tutor. vel curat.* Ad eius disquisitionem etiam pertinebat crimen adulterii. Ammian. Marcellin. *lib. XXVIII. cap. 1. pag. 400.* Sed praecipue, si seruus cum vxore domini sui rem habuisset. *l. 1. §. 5. D. de offic. praef. urb.* Coram praefecto urbis adcusabantur illi quoque, qui artes magicas tractasse dicebantur. Vid. Ammian. Marcell. *lib. XXVI. cap. 3. lib. XXVIII. cap. 1.* et Cassiod. *Varior. lib. III. epist. 22.* Referente praefecto vigilum, cognoscebat praefectus urbis de incendiariis, qui data opera incendium in vrbe excitarant. *l. 3. §. 1. et l. 4. D. de offic. praef. vigil.* Cuius moris hanc rationem tradunt impp. Theodosius et Arcadius in *l. vn. C. de offic. praef. vigil.* quod praefectus vigilum non habuerit ius in caput hominis inquirendi, sed tantum leui poena animaduertendi, incendiarii autem vltimo supplicio adiciebantur, *l. 28. §. 12. D. de poen.* si vero negligentia originem incendio dedisset, ipse inquirebat vigilum praefectus. *l. 3. §. 1. D. de offic. praef. vigil.* Audit etiam praefectus urbis tribunal suum adeuntes de interdicto, quod *vi aut clam*, et interdicto, *vnde vi. l. 1. §. 6. D. de offic. praef. urb.* Iudicabat insuper de falso testamento, ac cum fraudis alicuius suspicio esset. *l. 135. §. 4. D. de verbor. obligat.*  
et



et l. 24. D. ad leg. Cornel. de fals. Et ita Apuleius in *Apolog. pr.* numquam profecto tam contanter hominem extraneum, tot tantorumque criminum postulasset: qui auunculi sui testamentum, quod verum sciebat, pro falso infamarit, tanta quidem pertinacia, ut, cum Lollius Urbicus *V. C.* verum videri, et ratum esse debere, de consilio consularium virorum pronuntiasset, contra clarissima voce iurauerit recordissimus iste tamen, illud testamentum fictum esse, adeo, ut aegre Lollius Urbicus ab eius pernicie temperavit. Quam quidem vocem, et tua aequitate et mea innocentia fretus, spero in hoc quoque iudicio erepturum: quippe qui sciens innocentem criminatur: eo sane facilius, quod iam, ut dixi, mentiens apud praefectum urbis in amplissima causa conuictus est. Cuius Lollii Urbici, praefecti urbis, mentio quoque est apud Gruter. pag. 38. n. 13. Idem apparet etiam ex Symmacho *lib. X. epist. 36.* Ex quo loco praeterea clarum fit, potuisse praefectum urbis bonorum possessionem dare: quod se numquam legisse vel audivisse scribit Cuiac. *Observuat. lib. III. cap. 15.* et ideo locum Val. Max. *lib. VII. cap. 7. ex. 5.* corrigit, et legit: praetoris urbani, quum tamen in plerisque manuscriptis inveniatur *praef. urb.* ut testis est Lipsius. Intelligendus autem est L. Calpurnius Piso, qui sub Tiberio praefectus urbis fuit. Nam pro C. id est, Caius, legendum est L. id est, Lucius, qui lapsus facillimus





mus est: cum C. et L. saepe in lapidibus et manuscriptis confundantur. Vid. Reines. *ad class.* XII. n. 3. Ad praefectum urbis quoque pertinuit cognitio de plagiariis. *l. 7. C. ad leg. Flau. de plag.* Varias autem erant poenae, quas pro atrocitate delicti irrogare poterat. Leuiorum criminum reos exilio puniebat, et proscriberebat, Capitol. in *Anton. phil. cap. 23.* alios relegabat, *l. 8. D. de pollicit.* alios vero in insulas deportabat, *l. 6. §. 1. D. de interd. et releg.* qui quidem statim post deportationem ciuitatem amittebant. *l. 2. §. 1. D. de poen.* In eo autem deportatio a relegatione differebat, quod deportatus ciuitatem et bona amitteret, non item relegatus. *l. 14. D. de interd.* Deinde praefectus urbis quoque potestatem habebat ad metalla damnandi, *l. 8. §. 5. D. de poen.* quae grauiissima poena fuit, et capitali supplicio fere aequalis habita. *l. 28. pr. fin. D. de poen.* Praeterea ipsum etiam capitali supplicio puniuisse delinquentes, patet ex *l. 7. C. ad leg. Flau. de plag. l. 28. §. 12. D. de poen.* iuncta *l. 4. D. de offic. praef. vigil.* Etiam sententiam a pontificibus contra virginem Vestalem latam, quoniam id ipsi facere non poterant, executioni mandabat. Vid. Lips. *de Vestal. cap. 13.* et Bosium *de pontif. max. Romae veter. cap. 5. §. 4.* Vnicum contra praefecti urbis sententiam supererat remedium, prouocatio; idque iam a tempore Augusti ob-



obseruatum est: cui suaserat Maecenas, vt illas tantum causas foro praefecti vrbis subiiceret, a quibus dabatur adpellatio. Vid. Dion Cass. *lib. LII. pag. 478.* Exempla, vbi a praefecto vrbis fit adpellatio, sunt apud Amm. Marcell. *lib. XXVIII. cap. 1. pag. 397. l. 38. D. de minor. et l. 12. §. 7. vers. quod auctem C. de aedif. priuat.* Imperatores postea Constantius et Constans praefecto vrbis permiserunt, vt sine prouocatione ius diceret: sed postea eam legem abrogarunt, et adpellationem cuilibet liberam fore permiserunt. *l. 23. C. Th. de adpell.* Incogitantia ergo lapsus est Polet. in *Histor. for. Rom. lib. V. cap. 17.* qui putat, a praefecto vrbis non datam fuisse adpellationem. Sed sententia eius ex antedictis satis refellitur. Excipiebantur autem quaedam causae, a quibus non fiebat adpellatio. Vid. *l. 4. et 6. C. quor. adpell. non recip.* Si autem interponeretur prouocatio, fiebat ad imperatorem. Dion Cass. *lib. LII. pag. 487.* Δικάζει δὲ καὶ αὐτὸς ἰδίᾳ τὰτε ἐθέσιμα καὶ τὰ ἀναπόμπιμα, ὅσα ἀντὶ τῶν μεζόνων ἀρχόντων, καὶ παρὰ τῶν ἐπιτρόπων, τοῦτε πολιάρχου, καὶ τοῦ ὑπετιμητοῦ, καὶ τῶν ὑπάρχων, τοῦτε τὸν σίτον ἐπισκοποῦντ<sup>ς</sup>, καὶ τοῦ νυκτοφυλακοῦντ<sup>ς</sup> ἀφικνηταί: ipse seorsum in causis, in quibus prouocatione certatur, facies iudicium, quae a maioribus magistratibus, tutoribus, praefecto vrbis, subcenfore, praesidibus prouinciarum, procuratore

DRACKENB. de praef. urb.

D

tore



*toze annonae, et magistro nocturnae custodiae ad te referuntur.* Vt autem omnia ordine procederent, in hoc foro, quemadmodum in aliis, instituti quidam erant aduocati, qui reos defenderent. *Oratores, qui causam egerant apud praefectum urbis,* memorat Lamprid. in *Alex. Seuer. cap. 35.* De tali aduocato intelligendus est lapis apud Gruter. pag. 462. n. 1. cuius primaeuitas, officio sedis urbanae aduocationis exercito, fidem iunxit ingenio. Aduocati autem, (nam apud quemlibet magistratum certi erant), apud praefectum urbis numero septuaginta fuerunt. l. 7. C. de aduoc. diuers. iudic. In cuius legis inscriptione pro PP. emendandum est P. V. vt docuit Cuiac. *Obscruat. lib. XIII. cap. 1.* et ex eo Guther. *de offic. dom. Aug. lib. III. cap. 2. pag. 512.* Non omnes autem aduocati, eidem magistratui operam dantes, aequalis dignitatis erant, sed ex septuaginta illis quindecim eminebant, qui priuilegiis patroni fisci ornati erant. l. 16. C. de aduoc. diuers. iudicior. Reliqui praerogatiuis aduocatorum praefecti praetorio gaudebant. Vid. l. 5. C. de aduoc. diuers. iudic. Sed praecipue haec illis concessa erat immunitas, vt ipsi, eorumque posterii, vinculo cohortali soluerentur, l. 2. C. de aduoc. diuers. iudic. de quo vinculo vide Perez. *ad Cod. tit. de cohort. princ.* Tempus autem, per quod aduocationem faciebant, varium fuit. Vid. Cuiac. *Obscruat. lib. XVI.*



XVI. cap. 22. Pro labore autem magistratibus praefito comitiua dignitate munerabantur. Vid. l. 8. C. de aduoc. diuers. iudicior. Plura de aduocatis legi possunt apud Guther. de offic. dom. August. lib. III. cap. 2.

\*\*\*\*\*

## CAPVT VII.

DE

### CVRA PRAEFECTI VRBIS CIRCA ANNONAM.

Posteriori tempore praecipue etiam praefectus vrbis in cura rei annonariae occupatus fuit. Olim aedilibus plebeiis negotium datum erat, vt annonae ciuili prospicerent, et frumentum aliunde Romam conuehi curarent, Dion. Halic. *Antiquit. Rom. lib. VI. pag. 411.* et Liu. *lib. X. cap. 11.* quod postea aedilibus curulibus iniunctum videtur. Liu. *lib. XXX. cap. 22.* Iulius Caesar deinde duos aediles Cereales instituit; quorum unus erat curare, vt frumenti vilitas esset. *ICtus in l. 2. §. 33. D. de orig. iur.* Hi ex plebe creati sunt, vt constat ex lapide apud Gruter. *pag. 272. n. 6.* sed cum olim sub re publica in maximis annonae angustiis praefectus extra ordinem crearetur, qui frumentum

D 2



tum curabat, postea Augustus ordinarium magistratum instituit, quem praefectum annonae vocauit, cui deinde praefectus urbis adiunctus est: ita tamen, ut praefectus annonae reuereri deberet. *l. i. C. de offic. praef. urb.* Vnde in *Notit. imp. occid. cap. 3.* sub dispositione praefecti urbis esse dicitur. Curabat autem annonam civilem tantum. Sed Valef. *ad Ammian. Marcell. lib. XIII. cap. 10.* eius curam praefecto praetorio tribuit: quod probare conatur ex *Cassiod. Var. lib. VI. epist. 18. triticas quidem copias praefectura praetoriana procurat: sed non minor laus est, dispensationem probabilem facere, quam frumentum colligere.* Sed male: nam loquitur tantum *Cassiodorus* de emtione et cura frumenti per prouincias, quae sine dubio vniuersa ad praefectum praetorio delata est: cui diuisionem a praefecto annonae faciendam opponit. Quo melius autem pateat, quodnam munus praefecti urbis in cura annonae fuerit, rem omnem breuiter proponam. Cum ad Augustum summa rerum peruenerat, cuiuslibet prouinciae loco decimarum, quas quotannis pendebant, certus frumenti modus conferendus impositus est iuxta canonem frumentarium; ut docuit celeberrimus *BYRMANNVS*, *de vetig. pop. Rom. cap. 3.* Colligendo autem frumento in qualibet prouincia praefectus annonae praerat, qui diuersus fuit a genera



li'annonae praefecto in vrbe Roma: sed omnibus simul prouinciis praecerat praefectus praetorio, qui frumentum in certum locum conuehi iubebat, vt inde Romam transmittetur. Cassiod. *Var. lib. VI. epist. 18.* Annum illud vestigal si non sufficeret, aliud frumentum emebatur publica pecunia, quam expendebat praefectus vrbis. Nam huic emtiononi certa deponeretur pecunia, quam qui auerteret, in duplum debebat restituere. *l. 3. C. Th. de frum. urb. Constantin.* Facile autem frumentum ex finitimis prouinciis Romam transmittebatur. Sed, ne ex longinquo adferendum piratis exponeretur, instituit Augustus classem Alexandrinam, et eius exemplo Commodus classem Africanam; quae quotannis frumentum Romam deferrent. Lampr. in *Commod. cap. 17.* Nauibus autem praecerant nauicularii: hi variis locis per orbem Romanum dispersi, corpus efficiebant, quorum munus erat, vt species annonas partim Romam, partim Constantinopolim, suis sumtibus transferrent. Vid. Iac. Gothofr. in *Paratit. ad C. Th. de nauie.* Corporis autem nauiculariorum institutio referenda est ad primos imperatores; sub Antoninis enim eius iam mentio est apud Ictum in *l. 1. pr. fin. D. quod cuiusque vniuers. nom.* Erant autem sub dispositione praefecti vrbis, vt constat ex *d. l. 9.* et praefecti annonae, vid. *l. 26. D. de excusat.* et ita lapis apud Gruter.



ter. pag. 462. n. 1. Postquam inspectum atque probatum esset a praefectis frumentum, condebatur horreis illis, quae in portu erant, idque per Catabolenses. Hi efficiebant certum corpus operariorum, qui onera fiscalia per veterina animalia horreis et pistrinis inferebant. Vid. Gothofr. ad l. 10. C. Th. de pistor. et catab. His etiam praeerat praefectus urbis. Vid. l. 10. C. Th. eod. Frumenti pars vendebatur pistoribus, pars Romam subuehebatur. Venditio autem per mensores et caudicarios fiebat. Vid. l. 1. C. Th. de canone frum. urb. Rom. Pistorum celeberrimum Romae et Constantinopoli erat corpus, qui annonae publicae inseruiebant, partim molendo, partim coquendo frumento, et panibus formandis, quos vel paruo pretio vendebant, vel gratis distribuebant. Vid. Gothofr. in Parat. ad C. Th. de pistor. Institutum est id corpus a Traiano: vid. Aurel. Victor. in Vit. imper. cap. 13. huic corpori praeerat praefectus urbis. l. 2. Th. de nauicul. et tor. iit. C. Th. de pistor. lapis apud Gruter. pag. 361. n. 2. et praefectus annonae. Cassiod. Var. lib. VI. epist. 18. Ex frumento pistoribus vendito fiebat panis Ostiensis seu fiscalis, qui paruo pretio distrahebatur, l. vn. C. Th. de pret. pan. Ostiens. nam et pistorum paruo pretio hoc frumentum emebant, et quidem incorruptum. l. 1. C. Th. de canone frum. urb. Romae. Alia pars frumenti Romam subuehebatur



batur per caudicarios et linteones. Hi quoque corpus efficiebant, et annonam Romani populi, ac ligna ad exercenda balnea necessaria, caudicariis seu actuariis nauigiis e portu Romam per Tiberim aduehebant. Vid. Gothofr. *ad l. 2. C. Th. de pistor. et catabol.* Ex hoc frumento panis conficiebatur, gratis plebi diuidendus. Plerumque autem imperatores canonem frumentarium ad multos annos repositum habebant. Septimium Seuerum narrat Spartian. in *eius vit. cap. 23.* et Lampr. in *Elagab. cap. 28.* septem annorum canonem reliquisse, dum moreretur. Ratio erat, ne, si annus minus fertilis existeret, populo esuriendum foret. Volebant autem semper, vt id, quod erat antiquius illatum, prius erogaretur, ne longum tempus frumento corruptionem adferret. Si tamen accideret, vt frumentum corruptum esset, ne rei publicae periret, iubebant, vt deprauato integrum admisceretur. *l. 1. C. Th. de condit. in publ. horr.* Hinc vt insolitum de Nerone narrat Tacit. *Annal. lib. XV. cap. 18.* *frumentum plebis vetustate corruptum in Tiberim iecit, quo securitatem annonae ostentaret.* Olim ipsum frumentum diuidebatur; postea panes. Sed quo tempore primo diuisio panis introducta fuerit, non constat inter viros doctos. Praeferenda videtur Contareni sententia: cui, suppresso tamen nomine, adfentit Salmast. *ad Vopisc. Aurel. cap. 35.* qui panis diuisionem





referunt ad tempora Aureliani; a quo primum instituta est propter casum singularem, quem eo loco Vopiscus refert. Constat saltem, ex eo tempore diuisionem panis ordinariam factam fuisse. Sed postea per diuisores frumenti, siue quoscumque alios, iterum obtinuisse videtur, vt rursus frumentum daretur, idque deinde expressa lege vetuit Theodosius iunior *l. 2. C. Th. de frum. urb. Constant.* quod fortasse arctior annona esset; hanc enim rationem addit: *quoniam crescit inopia; si frumenta, quae pro annona tribuuntur, ad usus alios deputata cognoscantur.* Hi panes vocabantur *gradiles*: quod Romae in gradibus circi vel amphitheatri, Constantino poli in gradibus ad id exstructis diuidebantur, vt docuit vir summus, Cl. Salmas. ad *Vopisc. Aurel. cap. 35.* vbi plura de gradibus tradidit. Ipsa diuisio fiebat per officiales praefecti annonae. *l. 1. C. Th. de conditis in public. horr.* Aderat tamen praefectus vrbis, et videbat, ne panis immundus erogaretur, neue inmeritis daretur. *d. l. 1.* Nam ius habebat, ea, quae perperam erogata erant, retractandi. Vid. *l. 12. et 14. C. Th. de annon. ciu.* Curabat etiam praefectus vrbis reliqua edulia vrbis Romae. Nam praecerat diuisioni carnis. Vid. Brisson. *Antiquit. select. lib. 1. cap. 6.* Quae diuisio etiam ab imperatore Aureliano instituta est. Vopisc. in *Aurel. cap. 35.* Vnde sub praefecto vrbis esse dicitur tri-



tribunus fori suarii, vid. *Notit. dignit. occid. cap. 3.* et hinc etiam praefectus urbis suariis praecerat, *l. 1. et 2. C. Th. de suar. pecuar.* Vide etiam lapidem apud Gruter. *pag. 361. n. 1.* qui ad eius tribunal omnes causas suas agebant. Vid. *l. 26. C. de suar. et suscept. vini.* Praecerat tamen quoque suariis tribunus fori suarii. Vid. Cuiac. in *Paratit. Cod. ad tit. de suar. et suscept. vini.* Suarii autem certum corpus efficiabant, quorum munus erat, porcos suscipere, et carnes populo Romano praebere. Vid. Iac. Gothofr. *Paratit. C. Th. de suar. pecuar. et suscept. vini.* Vocantur etiam *porcinarii*, *l. 6. C. Th. de suar. pecuar.* cet. quos postea sub praefecto annonae fuisse, patet ex *Cassiod. Varior. lib. VI. epist. 18.* Eiusdem artis fere erant confecturarii, qui cum suariis coniunguntur in lapide apud Gruter. *pag. 361. n. 1.* vbi Gudius docet, confecturarios vel fuisse homines, qui carnes fuillas condebant, et fumo indurabant, vel, qui animalia interficiebant. Sed nihil obstat, quo minus utrumque munus coniunctim illis tribuamus. Ad officium praefecturae urbanae pertinet quoque distributio olei. *l. 15. C. Th. de annon. ciuic.* Haec autem diuisio gratuita erat. Vopisc. in *Aurel. cap. 47.* Curam etiam gessit arcae vinariae, Symmach. *lib. VIII. epist. 131.* quo etiam respicit Ammian. Marcell. *lib. XV. cap. 7.* Vnde rationalis vini etiam sub eius dispositione erat.



Vid. *Notit. imper. occid. cap. 3.* Et hinc quoque curabat omnes tabernas vinarias seu loca illa, vbi vinum vendebatur. Ammian. Marcell. *lib. XXVIII. cap. 4.* Et totius vrbs annona ei subiecta erat: quare etiam lixis, qui Romae cibos coctos venales habebant, praeerat. Amm. Marc. *d. loc.* Praecipue videndum erat praefecto vrbs, ne arcta annona incidere. Plebs enim propter difficultatem annonae semper turbas excitabat: quarum pericula praefecto vrbano plerumque imminabant, quoniam credebant, eius auaritia frumentum flagellari. Manifestum exemplum praebet Tertullus apud Ammian. Marc. *lib. VIII. cap. 10.* Vnde maxima haec laus datur praefecto vrbi, eius praefecturam seditionibus caruisse, et Romam frumento abundasse, vid. Amm. Marc. *lib. XXI. cap. 12. fin.* et *lib. XXVI. cap. 3. fin.* quibus propterea etiam statuas cum canistro et spicis ponebant. Vid. Gruter. *pag. 255. n. 2.* Si itaque classis frumentaria tempestatibus impediretur Romam appellere, praefectus vrbs, comitante omni populo, ad portum pergebat, et Castoribus supplicabat, vt tempestates cessarent, et iram a populo Romano auertere vellent. Vid. Amm. Marcell. *lib. XVIII. cap. 10.* et ibi Lindenbrogium ac Reinesium. Huc etiam referendum puto, quod praefecti vrbs pondera in emtionibus et venditionibus vsitata inspicerent, Amm. Marcell. *lib. XXVII. cap. 9.* vnde



vnde pondera nomine praefecti vrbis inscripta occurrunt. Sic apud Gruter. pag. 221. et pag. 222. n. 1. et in notis Sirmondi ad Appollin. Sidon. lib. VIII. epist. 7. quem lapidem ex eo exhibet Reines. class. III. n. 73. cum olim cura ponderum penes aediles esset. Vid. Reines. in Epist. ad Rupert. pag. 248. et in class. II. n. 56.

\*\*\*\*\*

## C A P V T VIII.

DE

### CVRA PRAEFFECTI VRBIS CIRCA AEDIFICIA.

**P**opulus Romanus, cum imperii terminos in longinquas terras protulisset, nihil antiquius habuit, quam vt Roma, quae orbis caput saepissime audit, pro maiestate tanti populi aedificiis publicis et priuatis quam ornatissime exculta foret: quae cura si sub re publica magna esset, sub imperatoribus certe maxima fuit, vt ex innumeris auctorum locis constat. Sed quoniam nulla re vrbis splendor et magnificentia magis minuebatur, quam si aedificia vetustate dilapsa non reficerentur, antiquior semper cura habita est, ne aedes ruinam minantes vsquam in ciuitate conspi-



conspicerentur. Cassiodor. *Varior. lib. III. epist. 29.* Si quisquam alius, prae omnibus in id intentus fuit Augustus, qui urbem neque pro maiestate imperii ornatam, et inundationibus incendiisque obnoxiam, excoluit adeo, ut iure sit gloriatus, marmoream se relinquere, quam laperitiam accepit. Quod de eo testatum reliquit Sueton. in *Aug. cap. 29.* Olim haec cura aedilibus plebeis data fuit, ut testis est *Liu. lib. VI. cap. 4.* et postea censoribus, qui a parua origine orti, successu temporum, potestate adeo aucti sunt, ut praeter caetera quoque sub ditone eius magistratus publicorum ius priuatorumque locorum esset; teste *Liu. lib. III. cap. 8.* Hinc saepe legimus in historia Romana, eos vel aedem sacram locasse, vel viam muniisse, ut apud *Liu. lib. VIII. cap. 29.* et *43. lib. XXIII. cap. 17.* et ita *Symmach. lib. I. epist. 12. censorum notio fuit spectare opera, quae locassent.* Sed postea hoc munus quoque iniunctum fuit praefecto urbi, ut patet ex toto *tit. Cod. vtriusque de aedificiis publicis et priuatis.* Duplex autem munus erat: vel aedificia vetustate collapsa resiciebat, vel noua excitabat. Maius autem semper studium fuit resiciendi, quam instruendi. *l. 19. C. Th. de oper. publ.* Elegantissimi exstant in corpore Gruteriano lapides *pag. 177. n. 7.* et *pag. 180. n. 10. Flavius Philippus, vir clarissimus, praefectus urbi Nymphaeum, sordium squalore foedatum, et marmorum*



rum nuditate deforme, ad cultum pristinum reuocauit. Amm. Marc. lib. XXVIII. cap. 6. Eum noua etiam exstruxisse patet ex Amm. Marcell. lib. XXVII. cap. 3. et plurimae inscriptiones exstant apud Gruter. pag. 168. n. 7. pag. 170. n. 5. pag. 171. num. 7. pag. 177. n. 6. conditor balnearum dicitur in lapide apud Gruter. pag. 441. Hinc sub dispositione praefecti urbis fuisse dicuntur curator operum maximorum, curator operum, publicorum, et curator horreorum Galbanorum. Vid. Notit. imp. occid. cap. 3. Videtur etiam praefuisse illis operibus, quae ipsi imperatores aedificabant. Spart. in Vit. Seueri cap. 24. Aedificiis autem instauratis vel exstructis nomen suum inscribebant, ad dentes, se vel refecisse, vel condidisse, ut ex locis allatis ex corpore Gruteriano patet. Qui ambitiosiores erant, exstructionem aedificiorum sibi vindicabant illis titulis, licet tantum pauca quaedam reparassent. Ammian. Marc. lib. XXVII. cap. 3. Id moris erat etiam illis imperatoribus, qui amissa spe virtutibus suis celebrem famam adipiscendi, hoc modo nomen suum ad posteros transmitti posse putabant. Lampr. in Commod. cap. 17. Quo vitio etiam laborasse dicitur Traianus. Vid. Amm. Marc. lib. XXVII. cap. 3. Hinc inter signa modesti semper principis relatum est, aedificiis a se refectis antiquorum conditorum nomina praeponere, et sui tantum ut instauratoris. De Augusto Dion Cass. lib. LIII.



LIII. pag. 497. Sueton. *Aug. cap. 31. de Tiberio Dion Cass. lib. LVII. pag. 608. Vid. Spart. Hadr. cap. 19. Seuer. cap. 23. lapis apud Gruter. pag. 1. n. 1. Lamprid. Seuer. Alex. cap. 26. Cum autem publica saepissime exstruerentur aedificia, flagitabat nonnumquam utilitas publica, ut diruerentur aedificia priuata, quo commodior et aptior locus esset monumentis publicis. Haec autem boni principes a priuatis emere solebant. Vid. Georg. Codin. *de origin. Constant. pag. 71. seqq.* Lamprid. *Seuer. cap. 25.* Plerumque praefectus vrbs illa loca emebat publica pecunia. *l. ult. C. Th. de oper. publ.* Poterat autem quinquaginta libras argenti vnicuique domo emendae expendere; sed de aedificiis maioris pretii debebat ad imperatorem referre, *l. 30. C. Th. de oper. publ.* et, vbi eadem lex existat, *l. 9. C. Iust. eod.* Praecipue etiam praeerat praefectus vrbs balneis, eorumque mancibus; quorum munus erat, vrenda lauacris ligna comportare, et exhibitioni lauacrorum praesse. Vid. Gothofr. in *Paratitl. ad C. Th. de mancip. therm.* Curabat etiam aquaeductus et cloacas vrbs Romae. *l. 8. C. de aquaeduct.* Hinc sub dispositione eius erant comes formarum, comes riparum, aluei Tiberis et cloacarum, et consularis aquarum. Vid. *Notit. imp. occid. cap. 3.* Etiam curabat vias publicas, lapis apud Gruter. *pag. 152. n. 8.* Ipse etiam praeerat statuis, quas imperator vel popu-*



populus alicui ponendas decernebat. Sic apud Gruter. *pag. 412. n. 4.* Hinc praeerat etiam curatori statuarum. Vid. *Not. imp. occid. cap. 3.* Ne autem ad haec omnia perficienda pecunia deesset, certa summa constituta erat, quam impendere debebat in extruendis vel reficiendis aedibus. Cassiod. *lib. II. epist. 34.* Ei praecipue rei pecuniam deputavit Alexander Seuerus, quam soluebant lenones, meretrices, et exoleti. Lamprid. in *Alex. Seuer. cap. 24.* Vid. Iacob. Gothofr. *Paratii. ad C. Th. de oper. public.* Si autem hanc pecuniam ad alias res, quam extruccionem aedium conuerteret, restitutione eius puniebatur. *l. 8. C. de aquaeduct.* Nec licebat etiam maiorem pecuniae summam impendere, quam constitutum erat. Quare ii, qui studio plura aedificandi, vt nomen suum perennius foret, agitabantur, materiam ad extruccionem monumentorum necessariam per fas et nefas adquirebant. Ammian. Marcell. *lib. XXVII. cap. 3.* Praeerat autem praefectus vrbis architectis, Cassiod. *lib. VII. epist. 15.* iisque mercedem, qua conducti erant, soluebat. Cassiod. *lib. I. epist. 6.* Hos architectos vel alios aedificiorum priuatorum redemptores cogere poterat, vt perficerent ea, quae redemerant. *l. 12. §. 8. C. de aedif. priuat.* Curam praeterea calcis gerebat et caementi: vnde vectores et costores calcis sub dispositione eius erant. Vid. *tot. tit. C. Th.*



*Th. de calcis vector.* Coram praefecto urbis propterea decidebantur omnes lites et controversiae, quae movebantur circa extruptionem domorum priuatarum, ita ut nemo praescriptione fori uti posset ad detrectandum eius iudicium. *l. 13. §. 7. fin. C. de aedif. priuat.* Tanta autem erat praefecti urbis potestas, ut, si aedes publicae nitore et elegantiae obstare viderentur, priuatos iubere posset, eas destruere. *l. 25. C. Th. de oper. publ.* Praeterea idem ius ei competebat, si homines auariores aedificiis priuatis angiportum vel eius partem incluserant, *l. 20. C. de oper. publ.* vel si aedes suas operibus publicis coniunxissent, quod minime facere licebat. Vid. Ammian. Marcell. *lib. XXVII. cap. 9. et ibi Lindenbr. et Vales.*

## C A P V T VIII.

DE

CVRA PRAEFECTI VRBIS CIRCA  
LVDS.

**S**i quis populus ludis et oblectationibus additus fuit, is sane Romanus fuit. Quare Iuuenalis hos plebis mores carpens in *Satyra X. v. 80.* ait:

. . . duas



--- duas tantum res anxius optat

*Panem et Circenses.*

Nec alicubi maior erat populi licentia, quam cum in ludos intentus esset. Nam cum semper quatuor factiones in circo essent, ut notissimum est, et alia pars huic factioni, alia illi faueret, saepe propter studia partium acerrimae seditiones oriebantur. Tacit. *Histor. lib. I. cap. 72.* Quos tumultus metuentes imperatores, curam hanc praefecto urbis iniunxerunt, ut videret, ne tumultus orirentur in circo vel teatro. Cassiod. *lib. I. epist. 32. et 33. lib. VI. epist. 4. cet. alibi.* Ut autem populus eo facilius in officio contineretur, adiuncti sunt praefecto urbis pauci milites, qui eius imperio semper suberant; et ii quidem ab Augusto ipsi dati sunt, Dion. Cass. *lib. LII. pag. 578.* qui per populum et plebem dispersi ludis adfidebant. Tacit. *Annal. lib. XIII. cap. 25.* Hos Nero demiserat, ut populus maiori libertate ludis interesse posset: Tacit. *Annal. lib. XIII. cap. 24.* sed cum postea hos motus ipse iterum excitasset, milites reducere coactus est. Tacit. *Annal. lib. XIII. cap. 25.* Semper enim illi, qui dediti erant spectaculis, populum ad tumultus adhortabantur, ut inde oblectationem caperent. Dion. Cass. *lib. LVII. pag. 612.*  
 Τόσπε ὀρχησαῖς ἔτω προσέκειτο, ὥστε καὶ σα-  
 σιάζειν αὐτὸς, καὶ μὴ δ' ὑπὸ τῶν νόμων, ἕς ὃ  
 DRACKENE. de praef. urb. E T136



Τις ἐπέκεινται ἐπ' αὐτοῖς ἐστὲν ἄνευ χειρὸς καὶ δίστασαι: adeo  
 erat deditus histrionibus, ut eos ad tumultuand-  
 um, legeſque Tiberii de iis latus detrectandum,  
 concitauerit. Ob has turbas ſaepe hiſtriones  
 Roma et Italia pulſi ſunt. Sic Dion Caſſ.  
 lib. LVII. pag. 617. Τὴν δὲ ἀρχὴν τῆς ἐ-  
 ρωμῆς ἐξήλασε καὶ μηδαμῶς τῆ τέχνης χρῆ-  
 σαι προſέταξεν, ὅτι τὰς τε γυναῖκας ἡσυχον  
 καὶ ἁσέεις ἔγειρον: hiſtriones Roma expulſit, et  
 arte ea interdixit, quia mulieres ignominia af-  
 ficerent, et turbas excitarent. Tacit. Annal. lib.  
 XIII. cap. 25. Hi milites ſtationarii dicti ſunt,  
 l. 1. §. 12. D. offic. praef. urb. diuerſi tamen  
 ab illis, qui in ſtationibus per Italiam diſpo-  
 ſiti erant. Vid. Lipſ. Quaef. epift. lib. III. epift.  
 18. Saepiſſime etiam urbani vocantur et  
 urbaniciani apud Spart. in Get. cap. 6. No-  
 mine autem urbanorum militum interdum  
 etiam intelliguntur praetoriani: nam hi in  
 vrbe quoque caſtra habebant. Vid. Sauil. ad  
 Tacit. Hiſtor. lib. I. cap. 4. Saepius tamen diſtin-  
 guuntur urbani et praetoriani milites. Tacit.  
 Hiſt. lib. I. cap. 73. 87. et aliis locis. Reli-  
 qua etiam delicta aurigarum circenſium pu-  
 niebat praefectus vrbis, modo id in circo, et  
 in conſpectu plurium hominum non faceret.  
 l. 2. C. de ſpect. et l. 7. C. Th. de ſcenic. Cum  
 autem plurimi aurigae magicis artibus ſibi  
 praemia in circo quaererent, cauere debebat  
 praefectus vrbis, ne id fieret. Amm. Marc.  
 lib. XXVI. cap. 3. vbi videndus eſt Linden-  
 brogius.



*brogius.* Videbat etiam, ne quis equos curules, siue principis munificentia, siue magistratuum munere, circo destinatos post multiplices iam partas victorias in vltus proprios abduceret, et ita populum oblectatione solita priuaret. *l. 3. C. de spect. l. 6. C. Th. de scenic.* Deinde cohibebat eorum hominum fraudes, qui equis curulibus celebriora nomina dabant, vt eos tanto carius venderent. *l. 1. C. Th. de equis curul.* Tandem Circensibus eos etiam salaria distribuisse, constat ex *Cassiod. lib. I. epist. 32. et 33.*

\*\*\*\*\*

## CAPVT X.

DE

### VARIIS OFFICIIS AD PRAEFECTVM VRBIS PERTINENTIBVS.

Egi haftenus de celebrioribus praefecti vrbis officii: nunc hoc capite in vnum conferam omnia illa, quae, licet minoris momenti, ad officium praefecturae vrbanae pertinuisse comperi. Vniuersos illos, qui in vrbe, siue Romana, siue Constantinopolitana, versabantur, et corpus aliquod efficiebant, sub dispositione praefecti vrbis fuisse,

E 2

patet





patet ex *l. 4. C. de offic. praef. urb.* Sic supra, praefertim *cap. 7.* vidimus plura talia corpora, quibus praefuit praefectus urbis. Hinc praecipue datum curae praefecti urbis fuit, ne illicita corpora vel societates fierent, neue haeretici coetus in vrbe haberentur. Vid. *l. 29. C. Th. de haetic.* Brisson. *Antiq. select. lib. I. cap. 14.* Olim aediles vel praetores curare debebant, ne dii, nisi senatusconsulto recepti, in vrbe colerentur. Liu. *lib. III. cap. 30. lib. XXV. cap. 1.* Praefecto urbis quoque imposita erat cura studiosorum, in vrbe Roma vel Constantinopoli degentium, vt patet ex  *toto tit. C. Th. de studiis liberalibus urbis Romae et Constantinopolis.* Ipsi quoque munus fuisse videtur, vt in quacumque re subita verba faceret ad populum. Symmach. *lib. X. epist. 29.* Sic Aelius Caesarianus, praefectus urbis, populo indicat, Tacitum imperatorem Romanum electum esse. Vid. Vopisc. in *Tacit. cap. 7.* Praefectus urbis etiam mortem imperatoris populo annunciaffe videtur. Atque hanc causam fuisse verosimile est, quare ad ipsum de morte Cari perscriptum est, apud Vopisc. in *Car. cap. 8.* Os etiam populi erat, et quaecumque petebat populus, ad imp. scribebat. Symmach. *lib. X. epist. 26.* Nullius etiam ciuitatis imperio Romano subiectae legati ad imperatorem admittebantur, nisi prius praefecto vrbi sententiam aperuissent, isque eorum



rum desideria, quae plerumque rudia erant, ingenii lima poliuiſſet. l. 8. *C. Th. de legat. et decret.* Olim quidem non licebat de quacumque re ad imperatorem legatos mittere, niſi tandem res eius cognitione digna foret. Sed, ſi quid impetrare vellent, id praefecto ſuo (omnibus enim Italiae fere vrbibus praefectus erat proprius praefectus, vid. Feſt. voc. *praefecturae*) indicabant, atque ita ſumtibus, in itinere et Romae faciendis, parcebatur. Dion. Caſſ. lib. LII. pag. 485. *Μήτε προεβείαν τίνα πρός σε, πλὴν εἰ πράγμα τι διαγνώσεως ἐχόμενον εἴη, πεμπέτωσαν ἀλλὰ τῷ τε ἀρχοντι σφῶν δηλοῦτωσαν, ὅσα βούλοντα, καὶ δι' ἐκένου σοὶ τὰς ἀξιώσεις ὅσας ἀν' ἀκριμάσῃ. οὐτῶ γὰρ οὐτ' ἀναλώσουσι τι, οὐτ' ἀισχυρὰς διαπράξονται, ἀλλ' ἀκεραίους τὰς ἀποκρίσεις ἀνευ δαπάνης ἢ καὶ πραγμάτων τῶς λήθονται:* neque ad te legationem ullam, niſi res cognitionem tuam requirat, mittant: ſed praefecto ſuo indicent, quaecumque voluerunt. Ac per eum ad te de voluntate ſua referant, ita et ſumtus vitabitur, et nihil turpiter facient, ſed integra reſponſa ſine impedimento et labore accipient. Srenas quoque, quas imperator Calendis Ianuariiſ populo dabat, praefectus vrbis distribuēbat. Symmach. lib. X. *epiſt.* 27. Vid. Lipenii *Hiſtor. ſren.* cap. 2. ſect. 3. §. 21. et 22. Non ſolum autem praefectus vrbis iudicabat de tutoribus et curatoribus, male in tutela vel curatela verſatis, vt vidimus cap. 6. ſed interdum





dum ipse curatores dabat, praesertim prodigis et furiosis, si legitimi tutores non essent. §. 3. *Inst. de curator. sed solent Romae praefectus urbi, vel praetores, et in prouinciis praefectus ex inquisitione iis* (id est, prodigis et furiosis) *curatores dare.* Quod ita Graece extulit Theophilus §. 3. *Inst. eod.* ἄλλ' ἐν τῇ Ῥώμῃ ὁ τῆς πόλεως Ἐπαρχὸς, ἢ ὁ Πραιτωρ, ἐν δὲ ταῖς ἐπαρχίαις οἱ ἄρχοντες δίδουσι τοῖς μαινομένοις καὶ ἀσώτοις κούρατορας. Vid. etiam l. 45. §. 3. *D. de excusat.* Posteriori autem tempore tantum pupillis illustrium virorum tutores dedit, detrectante matre tutelam, si superstes esset, ex causa secundarum nuptiarum; idque adsumtis decemuiris ex senatu, et praetore tutelari, vid. l. 1. *C. de tutor. et curat. illustr.* praetorem vero aliis curatores dare iubebat. l. 2. *C. quando mul. tut. offic. fung. pot.* Praetor autem tutelaris primum ab Antonino philosopho institutus est, vt de rebus ad tutelam pertinentibus cognosceret. Vid. Capitol. in *eius vit. cap. 10.* Deinde praefectus urbis, si filia furiosi vel mente capti nubere vellet, praesentibus eius curatoribus videre debebat, an personae nuptias contracturae eiusdem essent conditionis, et porro donationes antenuptiales et dotem constituebat. Vid. l. 25. *C. de nupt.* Videntur quoque praefecti urbis absentium consulum munus gessisse. Ita de Elagabalo narrat Lamprid in *eius vit. cap. 15.* eum, cum consul esset,



set, iussisse, vt praefectus vrbis vota sollempnia pro se in Capitolio nuncuparet.

\*\*\*\*\*

## CAPVT XI.

DE

### INSIGNIBVS PRAELECTI VRBIS.

Insignia, quibus praefectus vrbis a reliquis ciuibus distinguebatur, plura et amplissima fuere, pro dignitate et splendore muneris, quod administrabat. De titulis, quibus ab imperatoribus nuncupabatur, plura videri possunt apud Iac. Gothofred. in *Notit. dignit. Cod. Theod. tom. VI. pag. 321.* et Panciroll. ad *Notitiam dignit. orient. cap. 25.* Addo, praefectum vrbis ab imperatore Valeriano parentem adpellari apud Vopisc. in *Valer. cap. 9.* Hic autem titulus proprie ad eos pertinebat, qui ad patriciatum prouecti erant. Vid. §. 4. *Inst. quib. mod. ius patr. potest. solu.* Graecis ΔΑΜΠΡΟΤΑΤΟΣ dictus est, in lapide apud Gruter. *pag. 406. n. 10.* Vestis, qua indutus erat, eadem fuisse videtur, quae consulum seu consularium; olim enim ex consularibus creabatur praefectus vrbis, vt supra vidimus. Certe *vestem Romuleam* vocat Cassiod. *lib. VI. cap. 4.* per quam, si non togam pictam et tunicam palmatam, saltem intellige togam praetextam, quam *trabeam Quirinalem* vocat Virgil. *Aeneid. lib. VII. v. 612.* Id profecto constat,

E 4

stat,



stat, fuisse togam, quam saepe per excellentiam Romanam et Romuleam vestem nominabant, l. 32. *D. de iur. fise.* vnde etiam Romani *gens togata* dicuntur apud Suet. in *Aug. cap. 40.* et Symm. *lib. III. epist. 64.* Male itaque Salmas. *de mod. usur. cap. 3. pag. 113.* praefecto vrbis abollam tribuit, eamque vestem militarem seu paludamentum interpretatur. Nititur autem auctoritate Iuuenal. *Sat. III. v. 115.* et *Sat. III. v. 75.* Quam sententiam recte refellit Ferrar. *de re vestiar. lib. II. cap. 12.* Cui non habeo, quod addam, nisi *abollam Sat. III.* in genere accipi posse pro omni vestimento. Et ita Prudent. *contra Symmach. lib. I. v. 557.*

*Quin et Olybriaci generisque et nomini*

*Adiectus fastis, palmata insignis abolla,*  
*Martyris ante fores Bruti summittere*  
*fascas*

*VAmbit, et Ausoniam Christo inclinare*  
*securim.*

Vbi Prudentius *abollam*, ist est, tunicam *palmatam*, consuli Olybrio dat. Salmasii opinionem postea amplexus etiam est Ruben. *de re vestiar. lib. I. cap. 6.* sed infeliciter: nam eius sententiam refutavit Ferrar. *Analect. de re vestiar. cap. 8.* Corrigit autem Rubenius locum Vellei Patere. *lib. II. cap. 88.* vbi pro, *angusto clauo pene contentus fuit*, legendum vult, *angusticlauiua paenula contentus fuit.* Sed male: *angustus clauus* enim ponitur pro ordine



dine equeſtri, cuius ea veſtis erat ordinaria; qua *pene contentus* fuiſſe dicitur Maecenas; ita tamen, vt non in omnibus ſe equitem geſſerit: nam praefectura urbana non equitibus ſub libera re publica, ſed ſenatoribus, qui iam honorum curulium participes fuerant, committebatur. Vid. ſupra *cap. 2.* Si tamen aliquid loco Paterculi mutandum ſit, cum nobiliſſimo Nic. Heinfio antiqua lectio reuocanda eſt: docet enim in veruſtioribus editionibus, quibus uſus eſt, legi, *angusti elauit pene contentus fuit.* Quod ſimilibus ex Paterculo petitis exemplis adſtruit. Primus autem Urfinus, eique adſtipulans Lipſius, id, quod non intelligebant, mutarunt. Hanc locutionem Iuſtino etiam reſtituit Modius *ad lib. XXXXII. cap. 2.* Locus autem Caſſiodori *lib. VI. cap. 15.* quem praeterea adducit Rubenius, nihil ad rem facit. Agit enim de vicario urbis, qui cum praefecto urbis nihil commune habuit. Hic erat magiſtratus ciuilis, vicarius ille magiſtratus militaris, vi- ces enim agebat praefecti praetorii, adeoque aperte confundit vicarium urbis et vicarium praefecti urbis, inter quos tamen erat magna differentia, vt ex dictis conſtat. Plura adducere poſſem ad euertendam Rubenii ſententiam; ſed haec ſufficere viſa ſunt: alia attulit Ferrar. *loc. cit.* Proprios etiam apparitores habebat praefectus urbis, *l. 56. C. de diuerſ. offic.* Ammian. Marcell. *lib. XV. cap. 7.*



Symmach. *lib. X. epist. 51. l. 22. C. Th. de pistor. et catabol.* ab his etiam fasces praelati videntur, quibus potestas eius indicabatur. Cassiod. *lib. I. epist. 41. 42. et 48.* Praecipuum autem insigne erat ius carpento per publicum vehendi, de quo male dubitabat Petr. Faber *Semestr. lib. I. cap. 2.* et Lips. *ad Tacit. Annal. lib. XII. cap. 42.* Habuisse enim ius carpenti patet ex Vopisc. in *Aurel. cap. 1.* Amm. Marcell. *lib. XV. cap. 7.* Symm. *lib. X. epist. 24.* Cassiod. *lib. VI. cap. 4.* aliisque locis infinitis. Et sane non leue hoc summi magistratus indicium erat, cum priuatis ne equo quidem urbem ingredi permissum esset, teste Spartian. in *Hadr. cap. 22. Capit. in Anton. Philos. cap. 23.* quibus nec per municipia curru iter facere licebat. *Capit. d. l.* Quod tempore Aurelianij adhuc inuidiosum erat. Vopisc. in *Aurel. cap. 5.* in Loco carpenti olim senatores, qui minus prospera valetudine utebantur, lectica in senatum vehentur, quod et eorum vxoribus concessum erat. Dion Cass. *lib. LVII. pag. 612.* Νοσήσαντα δὲ ἐπὶ θανάτου ἔντε σκιμποδίῳ κατασέγα (ὁποῖον αἱ τῶν βουλευτῶν γυναῖκες χροῦνται) ἐς τὴν γέρουσιαν ἐσεκόμισε: morbo lethali aegrotantem in lectica operta, (quali senatorum uxores utuntur), in senatum intulit; et *pag. 614.* Οὕτω γὰρ τοὶ κακῶς διεκείτο, ὥστε ἐν σκιμποδίῳ κατασέγα ἐς τὸν συνέδριον ἐσκομίζηναι: νομιζόμενον γὰρ ποὺ καὶ τοῖς ἀνδράσιν ἦν



ἢν ποτὲ τις αὐτῶν ἀδενῶς ἔχων ἐκείσε ἐσίσι καὶ  
 ταυάμενοι αὐτὸν ἐσφίρεσθαι: adeo autem male  
 affecto corpore tum erat, ut in lectica operata in cu-  
 riam illatus fuerit. Concessum enim erat etiam  
 viris, ut, qui per valetudinem aliter non possent,  
 eo modo in senatum aduherentur. Vide eum-  
 dem lib. LX. pag. 665. Postea senatoribus  
 rhedae argentatae etiam concessae sunt, Lampr.  
*Alex. Seuer. cap. 43.* vbi vid. *Casaub.* et pecu-  
 liari deinde lege omnibus maioribus magi-  
 stratibus. Vid. *l. vn. C. Th. de honorat. veh.*  
 De hoc priuilegio plenius tractat Scheffer. *de*  
*re vehic. lib. I. cap. 18.* Currus autem prae-  
 fecti vrbs *carruca* dicebatur. *Symmach. lib.*  
*X. epist. 33.* Vid. eundem Scheffer. *de re vehic.*  
*lib. II. cap. 27.* Erat autem quadriiugus au-  
 ratus, qui a quatuor albis equis trahebatur.  
 Vid. *Notit. imp. occid. cap. 3. et ad eum locum*  
*Pancirall.* Libenter hic catalogum eorum,  
 qui praefecturam vrbs ab Augusto ad vltima  
 Romanorum tempora administrarunt, addi-  
 dissem, nisi res altioris indaginis esset, quae  
 vix sola intra vsitatos disertationis terminos  
 contineri poterat: quare inuitus ab hoc pro-  
 posito discessi. Si quis autem hac in parte  
 desiderio suo satisfactum velit, euoluat ille  
 vtilissimos Onuphrii Panuini *Annales*: is  
 enim in hoc praesertim aliis viris doctis, qui  
 nobis fastos Romanos descripserunt, ante-  
 cellit, quod omnes praefectos vrbs et prae-  
 torio ab eorum institutione vsque ad lapsum  
 impe-



imperii enumerarit, quos, si inuenios Baro-  
 nii *Annales* forte excipias, in aliis frustra  
 quaeres; eo nomine etiam laudatur apud  
 Reines. *Epist. ad Hofmann. et Rupert. epist.*  
 19. pag. 43. Monitos tamen volo huius stu-  
 dii cupidos, si iuuenis admonitionibus aurem  
 praebere non dedignentur, ne nimium fidam  
 Onuphrio, utpote qui saepe locos auctorum  
 mendose adducit; saepe etiam rem sine vl-  
 lius auctoritate, tamquam ex tripode dictam,  
 ponit, licet falsissimam: quod non animad-  
 uersum viros alioquin eruditissimos saepissi-  
 me in errorem induxit. Ut breuissim, vnum  
 tantum dabo exemplum, ex quo id, quod  
 dixi, clarum fieri poterit. Notat nimirum  
 Panuinus ad annum a Christo nato 334. diuo  
 Iouiano et Varroniano cons. Auianum Sym-  
 machum, patrem eius, cuius hodie etiam ex-  
 stant epistolae, (non autem ipsum epistolo-  
 graphum, ut male volebat Lindenbrog. ad  
*Ammian. Marcell. lib. XXVII. cap. 3.* et Frey-  
 mon. in *Symphon. iuris chronologica ad eum an-  
 num*) circa exitum anni praefecturam vrbana-  
 nam adeptum esse: idque Valesius etiam ab  
 Onuphrio deceptus notat ad d. 1. *Ammiani*  
 Sed aliter mihi videtur. Puto enim prae-  
 fectum vrbis creatum esse a Valentiniano  
 paullo post, quam ad imperium euectus esset.  
 Patet hoc ex l. 5. C. de oper. publ. quae data  
 est ad *Symmachum praefectum vrbis Philippis*,  
 VIII. Cal. Iun. diuo Iouiano et Varroniano cons.  
 Quo



Quo modo autem aut quo iure is, qui mense Maio iam honorem administrat, exeunte anno ad eum euectus dicatur, non video. Et sane plures circa hunc mensem in Codice Theodosiano ad eum datae leges exstant, vt praecipue l. 5. et 6. *C.Th. de pistor. et catabol.* quae subscribuntur VI. *Id. Iun.* hoc eodem anno, quo male in editione Parisina Io. Tili legitur VI. *Id. Ianuar.* quo nempe tempore adhuc viuebat Iouianus, adeoque *diuus* dici non poterat.

.....

## COROLLARIA.

### I.

**A**mazonum omnis historia ficta est, nec unquam talis gens exstitit. Pigmenti originem ostendit Palaeph. *de incredibil.* cap. 33.

### II.

Exercitus trecentorum Fabiorum, qui ad Cremeram caesi sunt, non constabat ex solis patriciis, vt vulgo credunt.

### III.

Spolia opima non tantum summus dux, sed et alii capere potuerunt.

### IIII.

Augustus primus instituit classem Misenatem et Rauennatem, quod negabat Clauer. in *Descript. Ital.*

### V.



COROLLARIA.

V.

*Non fuit unquam gens ulla, quae ex meris Gigantibus constabat.*

VI.

*Reges Romani non habuere maiorem potestatem Romae, quam postea consules, nisi quod perpetuum magistratum et soli gererent.*

VII.

*Violenta in ius raptio in quotidiano usu Romae erat, neque legibus, neque moribus interdicta.*

VIII.

*Practor ipse poterat iudicare, et saepe cognitionibus vacabat.*

VIII.

*Concubinatus fuit coniunctio legitima legibus Romanis.*

X.

*Tribuni plebis erant magistratus, sed tantum cum potestate, sine iuris dictione et imperio.*

XI.


*Lex regia fuit commentum ICtorum, adeoque nec per eam imperatores Romani legibus soluti sunt.*

XII.

*Filius natus maximus a privato patre susceptus, in successione praefendus videtur illi, qui primus post adeptum regnum procreatus est, nisi lex contraria aduersetur.*

CLARO





CLARO ET EXIMIO  
IUVENI  
ARNOLDO DRAKEBORGIO,  
DE  
PRAEFECTIS VRBIS  
DISPUTANTI.

Vrbis Romanae praefectos, vrbis ab ortu,  
Suo recenset ordine,  
Palladis Astracaeque decus DRAKEBORGIVS, vrbis  
Spes magna, Traiectum, tuae.  
Grande opus adgreditur. Colles gaudete Quirini;  
Gaudete Musarum iuga;  
Et tu, Rhene Bataue, tuo de nomine dicta  
Qui findis amne moenia;  
Plaude tuo ciui, lactumque sonantibus vndis  
Testare gaudium tuum.  
At tu, qui iuuenum nunc gloria, deinde virorum,  
Doctique pars eris chori,  
Perge per ignotos vulgo conscendere colles  
Honoris ad fastigium,  
Et qua coepisti decurrere, currere porro  
Via memento regia.  
Sic tibi Traiectum fauceat: sic munus in vrbe  
Illustre det sua tibi.


Ne





Ne dubita: iam te Musae, Pallasque, Themisque,  
Blando intuentur lumine.  
Mox tibi Parnasi lectam de vertice frondem  
Fauente porrigent manu.  
Cinget honoratos crines formosus Apollo  
Apollinari laurea.  
Quid superest, nisi ut meritis respondeat itis  
Haec ipsa ciuitas tuis?  
Et faciet: neque enim virtuti praemia desunt;  
Quae praemium, ut desint, sibi est.


P. FRANCIVS.













ULB Halle

007 103 069

3




W 18











B.I.G.

Farbkarte #13

*Druckenborch de praefectis vrbi*

450  
1704 A  
ARNOLDI DRACKENBORCHII,  
I. V. D. HISTORICAR. AC ELOQVENT.  
IN ILL. ACADEM. VLTRAIECTIN.  
PROFESS. PVBL. ORD.

DISSERTATIO  
PHILOLOGICO - HISTORICA  
DE  
PRAEFECTIS VRBI  
SVB PRAESIDIO

V. CL.  
PETRI BURMANNI  
PVBLICE DEFENSA  
VLTRAIECTI.  
A. D. IIII. VNII. CIO. IDCCHII.



EDITIO ALTERA.

TRAIECTI CIS VIADRVM,  
LITTERIS WINTERIANIS,  
CIDIICCL.